SUMMULAE SIVE LOGICA PARVA P. ANTONII XDERICH

SERAFIN HRKAĆ
(Sveučilište u Mostaru)

UDK 19 Žderić
Izvorni znanstveni članak
Primljen: 14. 7. 2003.

Predgovor

Sedamstoljetna franjevačka provincija Bosna Srebrena (Bosna Argentina) u prvoj polovini osamnaestoga stoljeća doživjela je svoj vrhunac ne samo prostorno (prostirala se od Jadrana do Budima i Crnog mora) nego i po broju članova koji su joj pripadali te po broju odgojno-obrazovnih institucija. Pored ostalog imala je desetak filozofijskih učilišta na kojima je filozofiju studiralo oko sto pedeset franjevačkih kandidata. Među profesorima u to doba bio je i naš Antun Žderić čiji rukopis formalne logike objavljujemo.

Žderić je rođen u Vinkovcima početkom osamnaestog stoljeća. Umro je u Staroj Gradiški 3. IV. 1739. Ispit za lektora (profesora) filozofije, kao student izvrsna učenja i uzorna ponašanja – uvjet što se tražio da bi netko po završetku studija teologije i svećeničkog ređenja mogao nastaviti studij i postati lektorom filozofije i potom lektorom teologije – položio je na franjevačkom generalnom učilištu prvoga reda (studium generale primae classis) u Budimu pod mentorstvom fra Petra Karapandžića iz Goranaca kod Mostara (usp. S. Hrkać, »Manuskript fra Petra Karapandžića Logica«, u: *Mostariensia 1*, Mostar /izd. Sveučilište u Mostaru/ 1994, str. 50–55). Predavao je na filozofskom učilištu (studium philosophiae) u Brodu, koje je utemeljeno g. 1710, a dokinuto 1783. odlukom Josipa Drugog koji je, osnivanjem centralnih seminarija za dijecezanske i redovničke studente, zabranio daljnji rad svih dotadašnjih provincijskih učilišta. Na katedri je Žderić naslijedio g. 1735. fra Blaža Šimića (usp. S. Hrkać, »Introduction in universam Aristotelis philosophiam Dubrovčanina Blaža Šimića«, u *Prilozi za istraživanje hrvatske filozofske baštine 31–32*, Zagreb, 1990, str. 211–217) i održao kroz filozofijski trijenij (koliko je tada trajao studij filozofije) predavanja iz svih filozofskih traktata predviđenih po ondašnjem planu i programu kako općeg crkvenoga i franjevačkog zakonodavstva tako i provincijskih konstitucija o školstvu.

Prema ondašnjim uzusima lektori su mogli slijediti udžbenike nekog odobrenog autora (Mastrius, Hennius...) ili sami izraditi vlastite sastavke i diktirati ih (lector) studentima. Žderić se odlučio za ovu drugu mogućnost, što je redovito uključivalo osobno daljnje napredovanje, tj. polaganje ispita i za lektora teologije. Predavanja su nam sačuvana u dva velika rukopisa. Jedan se čuva u franjevačkom samostanu u Kraljevoj Sutjesci i sadržava *Summulae* i *Logica maior* (usp. S. Hrkać, »Cursus triennalis universae philosophiae Aristotelico-Scotisticae, auctore p. Antonio Xderich«, *Prilozi 29–30*, Zagreb, 1989, str. 193–199; *Logica maior* objavljena je u drugom dijelu moje doktorske disertacije *Izlaganje o univerzalijama u djelu Antuna Žderića* Enchyridion in universam aristotelico-scoticam philosophiam, Mostar /izd. ZIRAL/, 1998, str. II, 1–373), a drugi u franjevačkom samostanu u Iloku sadrži: *Tractatus in octo libros Physicorum* /Traktat o osam knjiga Fizike/, *Tractatus brevis in libros Aristotelis De mirabili mundo caelique machina* /Kratki traktat o Aristotelovim knjigama O čudesnom svijetu i nebeskom stroju/, *Tractatus De ortu et interritu seu de generatione et corruptione* /O nastanku i prestanku ili o rađanju i raspadanju/, *Tractatus in Libros De anima* /Traktat na knjige O Duši/, *Disputiones in Physicam transnaturalem – Metaphysicam* /Rasprave o nadnaravnoj Fizici – Metafizici/, *Tractatus unicus* (sic!) *De Deo uno in essentia* /Traktat prvi (u tekstu stoji: jedini!) O Bogu jednom u biti/, *Tractatus secundus De Incarnata Dei sapientia* /Traktat drugi O Utjelovljenoj Božjoj mudrosti/, *Tractatus tertius De angelorum substantia* /Traktat treći O supstanciji anđela/, *Tractatus ultimus in quartam partem philosophiae De scientia morali* /Traktat zadnji četvrtog dijela filozofije O moralnom znanju/ – *Disputatio unica: De felicitate humana* /Rasprava jedina o ljudskoj sreći/. Tekst traktata Metafizike objavljen je prije dvije godine (S. Hrkać, »Metaphysica p. Antonii Xderich«, *Prilozi 53–54*, Zagreb, 2001, str. 231–285).

Tekst formalne logike (*Summulae seu Logica parva*) što ga donosimo nalazi se na samom početku sutješkog manuskripta (str. 3–41). Pisan je vrlo sitnim slovima i krcat je abrevijacijama tako da ga je bilo vrlo teško transkribirati. Sastoji se od tri dispute (o pojmu, sudu i zaključku) koje su podijeljene na kvestije. U zadnjoj kvestiji treće dispute (Quaestio X: De quibusdam terminis saepissime in philosophia usitatis) donosi razjašnjenje najvažnijih pojmova za razumijevanje filozofije općenito, a posebno skotističke filozofije, čiji je Žderić gorljivi sljedbenik, što ne nalazimo kod drugih autora toga doba: In actu primo et secundo; aptitudinaliter et actualiter; in actu signato et actu exercito; prius natura, tempore et origine; prioritas ordinis ratione temporis et ratione dignitatis; materialiter et formaliter; reduplicative et specificative; formaliter et efficienter; virtualiter, formaliter et eminenter; formaliter formalissime, formaliter implicite et explicite; absolute sive formaliter, respective seu comparative, et secundum quid; per se et per accidens; ut quo, et ut quid; positive et negative; subiective seu entitative, termi-

native, et obiective; intrisece et extrinsece; confuse et distincte; directe et indirecte, mediate et immediate; fundamentaliter et radicaliter; adaequate, inadaequate et simpliciter; in communi, et ut sic; assignabiliter et inassignabiliter; in sensu composito et in sensu diviso. Time je Žderić začetnik filozofijske leksikografije kod franjevaca.


ENCHIRIDION
Philosophicum,
In Universam Aristis
Logicam.
Disputationes
Ad
Mentem Subtilis Doctoris
IOANNES DUNS SCOTI,
Ordinis Seraphica Religionis Magistri
ac eorum Theologorum.
Principis
Feliciter incipiunt

Incipit: In nomine Verbi Incarnati incipit

Cursus triennalis sive universa Philosophia Aristotelica seu Scotistica iuxta profundissimam et insuperabilem Marianae innocentiae quidem doctissimi omniumque philosophorum theologorumque principis acerrimi potentissimi mentem Ioannis Duns Scoti Doctoris subtilissimi Ordinis Minorum s. Francisci, supremae Coeli Terraeque sapientissimae Majestati uni in essentia trinoque in personis Deo, sapientissimae ac immaculatae Virgini Deigenitrici Mariae, vigilantissimo in terris nutricio s. Josepho, patriarchae ac fundatori nostro Francisco Seraphico, s. Antonio probo doctori Paduano, s. Catharinae virgini et martyri caeterisque tutelaribus Philosophiae coelitibus consacrata ac dedicata a P. Antonio S'terich a Vincovaz lectore Philosophiae actuale. Anno a partu Virgineo 1735; die 27ma Augusti in octava s. Stephani regis feliciter incepta.

Explicit: Haec omnia tradita sunt in coenobio neo-aedificato Sanctissimae Triadis Brodii, et recurrente festo Immaculatae conceptionis Beatae Virginis Mariae honori dedicata et consecrata sunt a suo cliente minimo multo venerando patre fratre Antonio Xderich a Vinkovaz Ordinis Minorum Observantium sancti Francisci lectore ibidem Philosophiae ordinario Anno Domini 1735. die vero 7. mensis decembris, gubernante admodum reverendo patre Luca Karagich et lectore theologo meritissimo Ministro Provinciali. Finis Elementorum Parvae logicae seu Summularum.

Incipit

ENCHIRIDION DIALECTICUM

Annotatio pro Logica:

Quidnam sit Philosophia et quid per ejus nomen intelligatur?

Antequam de nomine et definitione Philosophiae peculiariter agere incipiam necesse aliqua de hac sublime Philosophia, cui Pythagoras initium dedit, dicerem quis Deum sapienter raptum, sed ipsum sapientiae amatorem, id est philosophum profitebatur, quae vox pro ipsa sapientia usurpatur, assignando ipsius varias ac diversas acceptiones. Sumitur enim aliquando pro omni virtute, uti in S. Scriptura reperitur, in qua sapiens idem est ac vir bonus. Hoc in sensu Plato, *Epistula* prima, dixit bonos mores esse veram sapientiam, cuius scientia sunt ornamenta.

Primo, aliquando sumitur sapientia pro bono Spiritu Sancti, quo fit, ut divina nobis sapiant et de his quasi de natura qualitatis iudicemus et in ipsis delectamur sicut gustus ex ipsa naturali affectione iudicat de saporibus.

Secundo, sic pariter aliquando sumitur sapientia pro excellenti peritia in qualibet arte. Sic pariter Paulus, *Prima Corint.* tertio, vocavit architectum sapientem id est peritissimum in illa arte.

Omnibus tamen his acceptionibus sapientia hic sumitur pro quandam sublimiori rerum cognitione unde hic sumpta sapientia definitur: Cognitio per rerum causas altiores – ut Aristoteles inquit I. *Metaphysicorum:* Sapientis est considerare causas altiores; unde quando quis res in sublimioribus causis sperculatur tanto sapientior habetur adeoquae illae scientiae quae per sublimiora principia res cognoscunt dicitur nomine sapientiae. Sapientia ergo sic sumpta dividitur in naturalem et supernaturalem.

Supernaturalis est quae cognoscit res per causas sive principia supernaturalia qualia sunt principia fidei et dicitur Theologia. Naturalis sapientia est illa, quae ex principiis naturalibus procedit, et haec dicitur Philosophia, quae iterum primaria sui divisione dividitur in quatuor partes nempe: Logicam, Physicam, Metaphysicam et Moralem; quarum definitiones suis locis assignabuntur.

Nomen itaque hoc Philosophia vox graeca est quod latine idem ac amor sive studium sapientiae; est et philosophus idem quod amator sapientiae; quae denominatio ortum ducit a Pythagora; prius enim philosophi 'sophi' appellabantur id est sapientes, quod vero non ita vocentur advertit s. Augustinus, libro *De Civitate Dei*, capite primo vitanda causa, a Pythagora inventum, et li 'sophiam' id est sapientiam in 'philiam' et li philosophum in 'sophum' mutatum est.

Si vero rem philosophiae inspexeris cum Platone ita eam definies: Philosophia est cognitio rerum humanarum divinarumque; vel cum Aristotele: Philosophia est cognitio /rerum/ uti sunt seu per suas causas. Si enim principia seu causae per quas cognoscuntur humana vel divina sint altissima vel universalissima et dicitur 'Sapientia'; si vero sint supernaturalia, dicitur 'Theologia'; si demum pure naturalia, dicitur 'Philosophia' sive 'Sapientia naturalis'.

Tandem cum recentioribus ita definitur: Philosophia est cognitio tractans tam de rebus spiritualibus quam naturalibus ac moralibus, per mera principia naturalia acquisibilis.

Prima pars huius definitionis ostendit obiecta sive res circa quas versatur. Hoc enim partim sunt corporales ut Coelum, Terra et alia elementa; partim sunt spirituales, ut anima hominis eiusque operationes intellectuales;

partim morales uti sunt actiones morum, et ad civilem vitam recte se componere.

Per secundam partem differt Philosophia a Theologia. Haec enim per principia supernaturalium rerum habetur, ut articuli sunt fidei, spei et charitatis.

Sic itaque definita Philosophia dividitur in moralem, naturalem et rationalem. Moralis dividitur in: Eticam, Politicam et Oeconomicam; naturalis dividitur in: Mathematicam, Metaphysicam et Physicam; rationalis vero est ipsa Logica; ad hanc ergo priusquam descendemus locum gravium authorum methodum praecedat sequens

Brevis introductio in universam Aristotelis philosophiam seu logicam quam vulgo S u m m u l a sdicimus ad mentem doctoris subtilissimi Ioannis Duns Scoti

Haec introductio Logicae parvae seu Summulae vulgo dictae solent etiam Dialectica dici. Dialectica dicta a Graeco verbo 'dialegome', quod Latine idem est ac sermocinare ac ratiocinari; unde definitur Dialectica quod sit scientia docens bene ac ordinate definire, dividere et argumentari. Dialectica haec, prout ex ipsius definitione patet, summe est necessaria; hanc qui negant his scientiis acquirendis perpetuo calligant et errant, falsa pro veris apprehendunt, erronea iudicant recta et directione dialecta destitutae errant omnes tres mentis operationes. Est autem mentis operatio: Cognitio intellectus per quam cognoscit aliquid. Haec ergo operatio mentis est triplex scilicet simpex apprehensio, iudicium et discursus.

Simplex apprehensio est cognitio intellectus qua cognoscitaliquod obiectum simpliciter, non affirmando vel negando de eo quidquam, ut dum dicit v. g. apprehendo hominem, nihil de eo affirmando vel negando.

Iudicium est cognitio intellectus per quam cognoscit aliquod obiectum, de eo affirmando vel negando aliquid, ut dum cognosco hominem iudicando quod sit homo rationalis, albus, niger etc, vel negando de ipso, quod sit equus, bos etc; et dividitur in affirmativum vel negativum.

Discursus est cognitio intellectus per quam ipse unum judicium infert de alio, ob eorum necessariam connexionem ut, postquam intellectus iudicavit de Petro quod sit homo, deducit et infert: ergo est animal rationale, et dicitur discursus.

Igitur iuxta has tres mentis operationes hunc tractatum dividemus in tres partes seu disputationes. Prima correspondebit primae, secunda secun-

dae et tertia tertiae mentis operationi, et quidem: in prima agitur de terminis ac aliis pertinentibus ad ipsam; in secunda agitur de enuntiatione seu propositione, et in tertia de discursu syllogistico seu argumentatione, eius figuris, modis ac fallaciis etc.

Sic igitur

Prolusio ad primam disputationem

Unumquodque novissime censemus, inquit Philosophus, cum primas causas et prima principia usque ad elementa noverimus propria vero cognoscimus, addit Scotus, quatenus terminos cognoscimus, ea siquidem perfectissima est notitia, quae habetur ex terminis perfectis cognitis; unde patet quam necessaria sit terminorum cuiuscumque facultatis perfecta notitia; dicamus ergo cum eodem Doctore Subtili: Domine Deus, qui es terminus sine termino, da nobis, ut de termino recte loquamur.

Disputatio I: De terminis eorumque divisionibus et affectionibus

Quaestio I: De termino ut sic

Adverte primo, terminum in generale acceptione, significationes sui varias habere. Aliquandoterminus significat finem rei, ut dum dicitur terminus vitae seu mors; aliquando enim solum pro fine sed et initio pro quo partes extremae Paculi, Savi, Travii etc dicuntur termine paculiari. Hic autem terminum sumimus pro extrema propositionis; pro cuius notitia meliori.

Adverte secundo, quod propositio non sit aliud quam oratio enuntiationis unum de alio, ut in hac propositione: hoc est animal rationale. In qualibet autem propositione tria considerare possum, nempe: subiectum, praedicatum et copulam. Subiectum est id quod subiicitur alteri seu de aliquo aliud dicitur, affirmatur vel negatur. Praedicatum est illud, quod de subiecto dicitur. Copula vero est unio seu nexus praedicati cum subiecto, ut in hac propositione: Petrus est homo. Petrus est subiectum; nam Petrus subiicitur praedicato, scilicet homini; et homo dicitur praedicatum, quia de Petro dicitur homo, seu enuntiatur. Si tam Petrus quam homo dicuntur termini propositionis, verbum *est* est copula seu unio horum terminorum, scilicet praedicati cum subiecto etc.

Dico: Terminus est extremum propositionis, est in re communis, et fundatur in definitione Aristotelesubi definiens ipsum dicit: Terminus est ille in quem resolvitur propositio, tamquam subiectum et praedicatum, et hic et de quo id, de opposito vel separato, esse vel non esse judicatur; in qua definitione Aristoteles resolvitur propositionis destructionem, sed si propositio

examinetur sic id quod inveniretur iudicatum et subiectum in tali propositione est terminus, vel si destructionem, adhuc subiectum et praedicatum erit terminus et non copula, quia haec est expressa et formalis ratio uniendi praedicatum et subiectum. Probatur: In hac definitione recte explicatur natura termini; ergo haec definitio bona. Probatur: Antequam in illa definitione recte explicatur natura termini alicuiuscumque alterius, quod constat ex genere, per quod conveniat cum aliis terminis, et differentiis, per quod haud differre ab aliis, sed id definitio facit, ergo recte explicatur natura termini. Probatur minor in definitione hac liextremum ponitur loco generis, nam per quod terminus dialecticus convenit cum aliis terminis, ut termini agri, Savi, Paculi etc qui non sunt dialectici et li propositionis differt ab illis, quia isti termini, ut agri, Savi, Paculi etc non sunt propositionis; ergo haec definitio constat genere et differentia; hinc vides, quod extremum propositionis habet necessariam connexionem propositionis et subiecti, quod autem non est extremum propositionis nec potest esse subiectum nec praedicatum in ea.

Objicies: Definitio non competens soli definito non est bona; sed haec non est competens; ergo, non est bona. Maior patet, ut vidimus in regulis bonae definitionis; probatur minor: Haec definitio competit etiam copulae, ergo non est competens soli definito. Probatur antecedens in propositione: Petrus homo est; li 'est', est extremum propositionis, quod est copula; ergo competit etiam copulae.

Respondeo concedendo maiorem et negando minorem; ad probationem nego antecedens, ad huius probationem distinguo antecedens in propositione: Petrus homo est; hic *est*, est extremum propositionis secundum grammaticos et eorum dispositionem grammaticalem, concedo antecedens; secundum modum intelligendi logicalem et eorum sensum, nego antecedens; qualitercumque enim grammaticus locat et disponet in propositione copulam sive in primo sive ultimo loco, semper logicus intelligit ipsum esse nexum praedicatum cum subiecto, et consequenter medium, non extremam unionem, non terminum, quia per ipsam concipit unum extremum convenire alteri.

Dices contra solutionem: Secundum logicos bene dicitur copula verbum est, est nexus; atqui in hac propositione copula seu verbum 'est', est extremum propositionis et secundum modum intelligendi logicalem; ergo ipsam nedum secundum grammaticos sed etiam secundum modum intelligendi logicalem est extremum propositionis.

Respondeo negando maiorem distinguo minorem: Atqui in hac propositione verbum *est* materialiter sumptum est extremum propositionis, concedo maiorem; formaliter sumptum, nego maiorem et distinguo consequens; ergo

copula materialiter sumpta est extremum propositionis, concedo consequens; formaliter sumpta, nego consequens. Ad intelligendam hanc definitionem sciendum est: verbum *est* et similia posse sumi dupliciter, nempe materialiter et formaliter. Formaliter sumitur quando retinet suam significationem, hoc quando affirmatur vel negatur aliquid de aliquo, ut in hac propositione: Homo est animal – *est* hic retinet suam significationem, affirmatur de homine quod sit animal; quando vero non retinet suam significationem formalem, id est non affirmans vel negans aliquid de aliquo, sumitur materialiter et est copula talis materialiter, ut in hac propositione: Est. Est monosyllabum hic sumitur pro nuda voce et non significatione formali id est affirmando vel negando, et haec potest esse extremum propositionis. In primo sensu dicitur copula qua talis seu copula formalis talis et reduplicativa; in secundo vero sensu dicitur copula quae talis seu significatione talis. Haec pro defensione definitionis termini ut sic sive logici sufficiant.

Quaestio II: De variis terminorum divisionibus ratione significationis

Inter terminorum varias distinctionesprima est divisio termini ut sic in: mentalem, vocalem et scriptum.

Mentalis est ille, qui mente concipitur.

Vocalis, est ille qui ore profertur.

Scriptus est ille, qui calamo scribitur, v. g. iste terminus 'homo' qui mente potest concipi, ore proferri et calamo scribi.

Deinde dividitur terminus mentalis in significativum et non significativum. Significativus est ille, qui aliquid significat ut 'lapis' etc.

Non significativus est ille, qui nihil significat ut 'plictri', 'pafoi', 'puf', 'paf' etc.

Terminus significativus dividitur in naturalem et ad placitum.

Naturalis est idem, qui ex sua natura significatum importat, et apud omnes idem repraesentat, ut gemitus infirmorum.

Ad placitum est ille, qui ad voluntatem primis instituendis aliquid significat, ut v. g. panis etc.

Terminus significativus ad placitum subdividitur in categorematicum et syncategorematicum.

Categorematicus est ille, qui absque ullo consortio potest esse subiectum vel praedicatum in propositione ut, homo, animal; bene enim dicitur: homo est animal; vivens est animal etc.

Syncategoremathicus est ille, qui per se nihil significat, nisi cum consortio et adiutorio alterius cuius significationem modificet ut: omnis, nullus, aliquis etc; unde notat Tataretus, *Primo tractatu*, terminum syncategoremati-

cum non significare aliquid sed aliqualiter, quatenus si adiungatur categorematicus, qui eius significationem modificaret et faceret taliter significare: nempe reddere significationem eius vel universalem, vel particularem, vel affirmativam, vel negativam, ideo dicitur aliqualiter significare, non quiavere et proprie non significat, sed quia significatum eius non praesentatur ut res per se, sed ut modus rei, idem exercendo modificationem alterius rei, qua de causa Arriaga, *Sectione quarta,* negat esse. Ex his duobus terminis oritur tertius, nempe mixtus est ille, qui impositus est ad significandum aliquid, seu aliqua et aliqualiter simul v. g. haec vox *nihil,* quae significat negationem omnis entis, haec enim ipsa negatio est illud aliquid, quod significat.

Adverte tamen: negationem dupliciter sumi posse, scilicet negative et infinitanter. Primo modo sumitur negatio, quando praedicatum removetur a subiecto et tum dicitur negatio malignantis naturae, quia quidquid post se invenit, destruit, ut in hac propositione: Homo non est lapis. Id quod absolute negatur de homine quod sit lapis et quod praedicatum importat lapis. Infinitanter dicitur negatio quando non afficit praedicatum vel subiectum removendis ab aliis aliquid, ut in hac propositione: Non hic homo curit – non determinatur an homo vel equus curat, sed potius determinatur negative, ut id quod curit non sit homo.

Terminus categorematicus dividitur in simplicem seu incomplexum et in compositum seu complexum. Terminus simplex est ille cuius partes separatim non significant illud idem quod unite significant, ut Dominus. Compositus est ille cuius partes significant illud idem quod unite significant, ut Marcus Tullius Cicero. Terminus simplex dividitur in absolutum et connotativum. Absolutus est ille, qui ultra rem quam significat, nihil aliud importat, ut leo. Connotativus est ille, qui ultra rem quam significat proprie et principaliter aliud secundario importat, ut lac. Terminus absolutus dividitur in relativum sive respectivum et substantivum. Respectivus ille est, qui significat aliquid in ordine ad aliud, ut 'pater' qui dicit respectum ad filium. Substantivus est ille, qui significat rem per se stantem et non alteri inhaerentem, ut 'petrietas' Petri. Sic igitur

Quaestio III: De terminorum divisione ratione modi significandi

Prima divisio termini, quae ex hac quaestione desumitur est in concretum et abstractum.

Terminus concretus ille est, qui simul formam et subiectum significat, ut album.

Terminus abstractus est ille, qui formam sine subiecto significat ut albedo; et uterque duplex est, substantialis scilicet et accidentalis.

Concretus substantialis est ille, qui formam substantialem importat, alteri inexistentem ut Petrus, qui humanitatem importat suo supposito inexistentem.

Concretus accidentalis est ille, qui formam accidentalem importat non inhaerentem, inalbedo quae inhaeret parieti.

Abstractus substantialis est ille, qui formam substantialem importat supposito non concernentem, ut humanitas.

Abstractus est ille qui formam substantialem importat supposito non concernentem ut humanitas.

Abstractus accidentalis est ille, qui formam accidentalem importat non inhaerentem subiecto, ut albedo.

N.B: Concretus dividitur in internum et externum.

Concretus internus est ille, qui significat formam internam, sive sit essentialis, ut 'rationale', sive sit propria, ut 'visibile'.

Secundus est qui significat formam externam et extrinsece adiacentem, ut togatum, armatum, pilleatum.

Adhuc dividitur terminus in denominantem, denominatum et denominativum.

Terminus denominans est forma abstracte sumpta tribuens denominationem subiecto, ut albedo, nigredo, quae denotat scilicet parietem.

Terminus denominatus est ipsum subiectum in se recipiens formam denominatam, ut v. g. paries qui recipit albedinem.

Terminus denominativus est concretum nomen, quod praedicatur a subiecto, ut v. g. album de lacte etc. Hinc patet quod omnia accidentialia abstracta sint termini denominantes, et omnia concreta accidentalia denominativi, sicut et substantialia, sed adiective sumpta ut v. g. humanum, corporeum, equinum etc.

Terminus denominans subdividitur: intrinsece denominans et extrinsece denominans. Terminus intrinsece denominans est ille, quando forma inest subiecto quod denominat, ut humanitas in homine, albedo in pariete. Si est forma denominans essentialiter tunc dicitur intrinsece acidentaliter denominans; si vero est forma accidentaliter denominans est ille, quando forma non inest ipsi subiecto, sed solum denominatur.

Terminus extrinsece denominans est ille, quando forma inest non ipsi subiecto, sed solum determinatur ad ipsam, ut v. g. visio, cognitio, quae solum terminatur ad parietem visum,cognitum etc, et non subiectatur forma in pariete viso, cognito etc, sed in oculo forma subiectatur visiva.

Quaestio IV: De multiplicatione terminorum in ordine ad res significatas

Divisio termini, quae ex parte rei significatae sumitur et in terminum communem seu universalem et singularem et partialem.

Terminus communis est ille qui significat aliquid commune pluribus ita ut etiam singulis seorsim sumptis conveniat, cum suis in iisdem multiplicatione ut homo, qui convenit omnibus hominibus et singulis seorsim.

Terminus singularis est ille, qui unam rem singularem seu particularem tantum significat, vel plura per modum unius, ut Petrus, senatus, populus etc licet senatus plures significet, quia tamen eos per modum unius significat; ideo dicitur singularis terminus, et quia de eis non potest seorsim praedicare; ideo dicitur singularis collectivus. Ex quo habetur quod 'Deus' non sit terminus communis, licet enim tribus personis divinis conveniat, non tamen cum sui in iisdem multiplicationem. Unde communiter apudauctores est, ut aliquid sit commune non est necesse, quod actualiter multiplicetur in illis, sed sufficit, quod ex natura sua non repugnet rei multiplicatio uti licet actu non sint plures solos, non tamen repugnet plures esse, ideo terminus solum est communis; licet etiam nomen Petrus conveniat pluribus qui hoc nomine gaudent, non tamen res, et ideo Petrus singularis dicitur.

Terminus dividitur adhuc in collectivum et divisivum.

Terminus collectivus est ille qui dicitur de pluribus seorsim collective sumptis, et non de quolibet ex illis ut Populus Romanus qui dicitur de omnibus incolis Romanis, et non separatim de quolibet ex illis.

Terminus divisivus est ille qui dicitur de pluribus seorsim sumptis, ut si diceretur: Cives Romani erant nobiles – hoc debet intelligi de singulis seorsim sumptis.

Terminus communis dividitur in transcedentalem et non transcedentalem seu limitatum. Transcedentalis est ille qui convenit omnibus, per omnia vagando, ut: res, gens, unum, bonum, aliquid, verum – qui hoc vocabulo sunt comprehensi *reubau* – hoc est: res, ens, unum, aliquid, bonum, verum.

Terminus limitatus est ille qui pluribus quidem communis est rebus, non tamen omnibus, cum sit in determinato genere et praedicamento, ut animal, quod convenit homini et equo non tamen lapidi.

Terminus singularis subdividitur in determinatum et in indeterminatum seu vagum. Terminus determinatus est ille qui rem singularem determinate significat, et hoc vel per proprium, ut Petrus et Paulus etc vel per nomen commune tamen addito pronomine demonstrativo uti: hic homo, ille homo etc.

Terminus indeterminatus seu vagus est ille qui rem unam singularem vel plures fuse et indeterminate significat ita ut non possit magis intelligi hoc vel

illud, ut aliquis homo, non magis significat Petrum quam Paulum etc. Haec tamen determinatio magis se tenet ex parte modi significandi quam rei significatae.

Rursus terminus communis subdividitur in univocum, aequivocum et analogum.

Terminus univocus est ille qui convenit pluribus secundum idem nomen et eandem rationem per illud nomen significatam, ut homo, qui dicitur de Petro et Paulo etc.

Terminus aequivocus est ille qui convenit pluribus secundum idem nomen, non tamen secundum eandem rationem, ut v. g. 'canis', qui convenit secundum nomen cum cane terrestri, caelesti et marino; idem latrabili, syderi et pisci, quorum ratio est diversa.

Terminus analogus est ille qui convenit pluribus secundum idem; ratio vero per nomen significata partim eadem est, partim vero diversa, ut si *sanus*respectu hominis, urinae, medicinae et coloris etc; haec enim omnia dicuntur sana sed non uniformiter; homo enim dicitur sanus formaliter, medicina vero ut causa, color urinae ut signum. Praescriptae descriptiones deducuntur ex Aristotele, qui in *Antepraedicamentis*, cap. 1. univoca, aequivoca et analoga sic definivit:

Univoca sunt, quorum nomen est commune, et secundum nomen eadem ratio substantiae.

Aequivoca sunt ea, quorum nomen est commune ratio vero substantiae accomodata est diversa.

Analoga sunt illa, quorum nomen est commune, ratio vero substantiae diversa; habent tamen inter se aliquam proportionem, prout significantur praedicto nomine.

Hinc remanet aliquid dicendum de univocis univocatis, aequivocis aequivocatis et analogis analogatis, quae desumunt has proprietates et definitiones ex supradictis terminis; ideo ut non necessaria brevitatis gratia ommitto. Demum dividitur terminus in terminum primae et secundae intentionis.

Terminus primae intentionis est ille qui significat rem independenter ad operationem intellectus, ut v. g. homo, lapis ubi significatur natura humana et natura lapidis independenter ab operatione intellectus.

Terminus secundae intentionis est ille, qui significat res sub aliquo attributo rationis, quo non afficiuntur nisi negotiante intellectu ut genus, species etc et omne eius ratione quod procedit ab operatione intellectus; quod enim homo dicatur species, et animal genus, hoc totum provenit ab opere intellectus.

Adhuc dividitur terminus in finitum et infinitum.

Terminus finitus est ille qui rem finitam et limitatam significat, ut homo, lapis etc.

Terminus infinitus est ille qui nihil limitatum significat, sed potest innumeris rebus applicari, ut *non homo, non lapis* etc, qui de omnibus dici potest excepto homine.

Termini redduntur infinitantes praeponendo eis negationem, ut patet in lato exemplo. Terminus ulterius dividitur in ultimatum et non ultimatum.

Terminus ultimatus est ille quando cognoscitur res significata per vocem aliquam aut scripturam, ut cum audis vel legis vocem hanc 'homo', et per eam concipis id esse animal rationale.

Terminus non ultimatus est ille, quando concipitur sola vox aut scriptura, non res significata per aliquam vocem, sic Graecus, ignarus latinae linguae, audiens hanc vocem homo format sibi conceptum non ultimatum, quia non concipit significatum eius, sed tantum sonum vocis.

Tandem hoc ex capite dividitur terminus in positivum, privativum et negativum.

Terminus positivus est ille qui aliquid positive significat, ut homo, lapis etc.

Privativus est ille qui dicit carentiam formae in subiecto apto ad illam habendam, ut v. g. caecitas in homine.

Negativus est ille qui dicit carentiam formae in subiecto inepto ut visio in lapide.

Ultimo dividitur terminus in formalem et obiectivum, in directum et reflexum.

Terminus formalis est ipsamet cognitio obiecti ut actus intellectus:

Obiectivus est ipsum obiectum cognitum, nempe homo vel equs etc.

Directus est cognitio qua cognoscitur aliqua res sine advertentia cognitionis, et dicitur rectus, quia intellectus recta via tendit in obiectum.

Reflexus est cognitio mediante qua intellectus, nedum cognoscit obiectum, sed etiam advertit cognitionem qua cognoscit obiectum, et dicitur reflexus, quia intellectus se reflectit supra cognoscentem.

Quaestio V: De terminorum collatione inter se seu de pertinentia et oppositione terminorum

Termini iam traditi et explicati si comparentur et ad invicem referantur vel sint pertinentes vel impertinentes. Primi sunt quando se mutuo inferunt, et se mutuo excludunt. Si se mutuo inferunt dicuntur pertinentes sequella ut

v. g. dicendo, est homo, quod est animal; homo est; ergo et animal, dicuntur termini pertinentes sequella.

Adverte si ad invicem comparentur? Si se mutuo excludunt, dicuntur pertinentes repugnantia, ut v. g. est album, quod est nigrum non. Sed sunt qui nec se mutuo inferunt, nec se mutuo excludunt, ut v. g. dives et sapiens. Si ad invicem comparentur, de quibus nequit inferri consequentia affirmativa vel negativa dicendo: est dives, ergo est sapiens; neque econtra: est sapiens, ergo dives.

Termini pertinentes sequella sunt duplicis generis, primo quando unus est superior et alter inferior id est quando unus est universalior et magis late patens quam alter, tunc enim affirmative recte infertur superior ex inferiori, non autem econtra, ut v. g: Est Petrus quod homo – non vero econtra: Est homo, quod est Petrus. Negative vero recte infertur minor ex superiori, ut v. g. Non est homo, ergo nec Petrus – non vero econtra: Non est Petrus, ergo non est homo.

Secundo, quando sunt convertibiles ac aeque late patent, tum ex uno ad aliud recte infertur consequentia dicendo: est bonum, quod verum – et econtra: est verum, quod bonum. Similiter in synonimis valet consequentia affirmativa sicut a negatione unius ad negationem alterius, v. g. est gladius, quod ensis, et econtra est ensis, quod gladius; similiter a negatione unius ad negatione unius ad aliud valet consequentia dicendo: Non est gladius, quod non ensis – et econtra: Non est ensis quod non est gladius.

Termini pertinentes repugnantia enim sunt duplices. Alii sunt oppositi, alii disparati. Disparati sunt qui non habent tantum repugnantiam inter se quantam cum alio tertio ut v. g. lapis et argentum etc; qui termini non habent tantam repugnantiam nec diversitatem inter se quantam habent cum tertio, nempe ligno etc.

Termini oppositi sunt illi, qui magis inter se repugnant quam cum uno tertio v. g. dulci vel amaro; contra album potest esse et dulce et amarum, non vero potest esse nigrum.

Termini oppositi adhuc sunt quatruplices, nempe: relativi, privativi, contrarii et contradictorii. Oppositi relativi sunt illi qui per relationes mutuas oppositas ad invicem referuntur se invicem excludendo, ut: pater et filius etc.

Oppositi privativi sunt illi, quando unus significat formam, et alter carentiam eiusdem formae in subiecto apto ad habendam talem formam ut videns, caecus etc.

Oppositi contrarii sunt duae formae positivae ablato subiecto se ad invicem expellentes ut album et nigrum etc, callidum et frigidum etc.

Oppositi contradictorii sunt illi qui opponuntur secundum affirmationem et negationem ita ut quando unus affirmat et alter negat et econtra, ut homo et non homo etc.

Pro quorum notitia meliori sciendum est tres conditiones necessario requiri ad hoc ut termini pertinentes repugnantia dicantur oppositi.

Prima est, ut tales termini comparentur inter se respectu eiusdem subiecti, hinc non valet si unus dicatur de uno et alter de alio subiecto ut de lacte album et nigrum de corvo etc.

Secunda est conditio, ut tales termini dicantur eiusdem respectu partis subiecti et eiusdem rationis; hinc non sunt opposita si Aediops dicatur albus secundum dentes et niger secundum alias partes corporis.

Tertia est conditio, ut sint respectu eiusdem temporis, hinc non valet si dicatur: Petrus hodie est doctus; Petrus cras non erit doctus etc. Ex defectu harum conditionum termini oppositi repugnantes possunt fieri non repugnantes. Secus est de terminis disparatis, hi enim numquam possunt fieri non repugnantes: disparitas est enim quia termini oppositi dicunt formas accidentales, quae in se possunt variare, sed vel abesse vel adesse a subiecto successive; disparati vero important essentias et naturas quae non possunt variari, nisi ipsae res destruantur cuius sunt essentiae. Sic numquam possunt duae naturae simul aut successive verificari de eodem. Hinc lapis et lignum numquam de eodem possunt verificari, quia sunt disparata; bene vero possunt termini oppositi de eodem verificari, et hoc successive vel secundum diversas rationes. Sic filius respectu sui filii potest dici parens; videns post aliquod tempus potest fieri caecus; et callidum potest fieri frigidum et album non album.

Quaestio VI: De variis proprietatibus et affectionibus terminorum

Postquam de multiplici terminorum incomplexorum et simplicium divisione ac diversitate egimus, agendum restat de eorum proprietatibus et affectionibus, quae communiter septem numerantur, scilicet: suppositio, status, ampliatio, restrictio, alienatio, diminutio et appellatio, quarum examen duabus sectionibus absolvemus; et quia suppositio praecipua est inter eas, maximeque notanda, quae circa ipsam dicentur, ideo de ea hac in prima sectione agitur.

Sic igitur

Sectio I: Quid et quotuplex sit suppositio?

Adverte primo, quod cum termini plura significare possint, ut hic terminus homo, qui immediate significat naturam humanam, mediate Petrum et

Paulaum, ac etiam se ipsum; ideo varia haec terminorum significatio; secundum in propositione per praedicatum aut copulam determinari solet ad unam certam significationem, et aliquando sic accipitur in propositione terminus cum tali determinata significatione, tunc supponere dicitur.

Adverte secundo, aliud esset significare et aliud supponere. Nam significare idem est ac venire in cogitationem alterius rei, v. g. quando fumus significat ignem. Supponere vero loco alterius poni, substitui etc. Certum enim est, quod terminus qui aliquid supponit, id etiam significat, non vero vicissim qui aliquid significat pro illo supponere dicitur. Sic homo significat et naturam humanam et individuum et se ipsum; non tamen pro omnibus supponit semper sed tunc tantum supponit quando per praedicatum determinatur ad aliquid significandum, ut in hac propositione: Homo curit – per curit determinatur homo ad aliquod individuum curens; in hac vero: Homo est vox dissyllaba – determinatur tantum ad significandam ipsam vocem materialiter; ex quo patet, quod aliquis terminus nunquam dicatur 'supponere' in propositione; extra propositionem autem non dicitur supponere, sed tantum significare.

Dico: Suppositio est acceptio termini in propositione pro eius aliquo significato. Ita Tataretus, *Tractatu* septimo: primo sciendum; et colligitur ex Scoto, in I., dist. 21., qu. ultima: in omni voce significativa duo possunt considerare, nempe ipsa vox et eius significatum, ad aliquid significandum est instituta; ideo etiam duplex est suppositio, una materialis ad significandam eius vocem; alia formalis ad significandum et eius significatum formale, ut in hac propositione: 'Homo' est vox dissyllaba – est suppositio materialis; in hac vero: Homo est animal rationale – est suppositio formalis; supponit enim pro natura humana Petrum, Paulum etc quia significat eius significatum formale. Unde suppositio formalis consequitur significatum formale, materialis vero materiale; ab una enim suppositione ad aliam non tenet consequentia; non enim valet: 'Homo' est vox dissyllaba; Antonius est homo; ergo 'Antonius' est vox dissyllaba; variatur enim hic suppositio, quia in maiori homo supponit materialiter, in minori vero formaliter, et hoc non valet, quia quatuor terminis constat argumentum, quod est vitium syllogismi.

Suppositio formalis subdividitur in propriam et impropriam.

Propria est acceptio termini pro suo significato, quod proprie significat, ut: Hic leo rugit – ubi hic leo indicat verum et proprium leonem.

Suppositio impropria est acceptio termini pro re quam improprie et metaphorice significat ut: Christus est lapis; Christus est leo; non valet autem arguere a suppositione propria ad impropriam dicendo: Leo est rugibilis; sed Crhistus est leo; ergo etiam Christus est rugibilis.

Rursus suppositio formalis propria dividitur in communem et singularem.

Communis est acceptio termini communis pro suo significato ut: Homo est animal.

Singularis est acceptio termini pro re singulari tantum addito nomine demonstrativo ut: hic homo, ille etc.

Communis suppositio subdividitur in simplicem, personalem et absolutam.

Suppositio simplex est acceptio termini communis pro ipsa natura communi ab individuis abstracta, ut cum dicitur: Homo est species; animal est genus – ubi homo et animal simpliciter supponunt pro se ipsis, et non pro suis inferioribus, quia ut sic homini convenit specifica ratio non vero huic homini singulari, et animali ut sic convenit esse genus est vero rationali etc.

Suppositio personalis est acceptio termini communis pro suo significato mediato ideo pro suis inferioribus; ut dum dico: Omnis homo curit – curere enim non competit naturae humanae secundum se consideratae, sed immediate individuis etc.

Suppositio absoluta est acceptio termini communis pro suo significato tam immediato quam mediato, ut: Animal est homo. Homo enim supponit hic, tam pro natura humana, quod est primum eius significatum, et pro individuis omnibus naturae humanae quae sunt mediatum eius significatum; et hanc suppositionem agnosces si praedicatum indifferenter tam naturae humanae, quam inferioribus conveniat, ut in propositione: Homo est risibilis – hoc praedicatum risibilis, convenit tam naturae humanae quam inferioribus scilicet Petro, Paulo etc; hinc a suppositione absolute supponente valet descensus ad inferiora ut: Homo est risibilis; ergo Petrus est risibilis – ex quo habes propositionem simplicem et personalem esse contrarias,absolutam vero esse mediam inter has et neutramque participantem.

Personalis subdividitur in distributivam, collectivam, determinatam et confusam. Distributiva est acceptio termini communis pro singulis inferioribus distributive sumptis, ut : Omnis homo est animal – ubi homo distributive supponit, quia praedicatum animal omnibus et singulis hominibus convenit.

Collectiva est acceptio termini communis pro omnibus suis inferioribus simul sumptis, ita ut praedicatum non singulis seorsim sed omnibus singulis conveniat, ut: Omnes apostoli sunt duodecim – ubi apostoli supponit collective.

Determinata est acceptio termini communis pro aliquo ex eius inferioribus determinato ut: Aliquis homo cras morietur – ubi homo determinate supponit quia saltem Deus scit, qui sit ille homo, qui cras morietur.

Confusa est acceptio termini communis pro aliquo ex eius inferioribus in determinato, ut: Aliquis equus est necessarius – ubi li equus confuse sup-

ponit, quod nec ille qui omnia individua videret possit determinate ostendere quisnam sit ille equus, qui esset necessarius ad curendum equitandum etc.

Suppositio distributiva subdividitur in suppositionem pro singulis generum, pro generibus singulorum et accommodam.

Suppositio pro singulis generum est acceptio termini communis pro omnibus omnino inferioribus naturae communis, ut: Omne animal est vivens – li animal pro singulis generum suponit, quia nullum datur animal, quod non sit vivens.

Suppositio pro generibus singularium est acceptio termini communis, non pro omnibus individuis naturae communis sed pro omnibus speciebus v. g. pro aliquo individuo omnium specierum ut: Omne animal fuit in archa Noe. Li 'animal' supponit pro generibus singularium, quia omnes species vel aliquod individuum omnium specierum, quae sub animali continentur, fuerunt in archa Noe.

Suppositio accomoda est acceptio termini communis pro omnibus inferioribus exceptis tamen aliquibus, ut: Caelum tegit omnia corpora. Hic caelum supponit accomode, quia tegit omnia praeter se ipsum.

Sectio II: De reliquis sex terminorum proprietatibus

Sequentes hae sex proprietates sunt maioris momenti et hoc ideo quia non sunt verae et propriae affectiones et proprietates sed potius quaedam variationes significationis et suppositionis per quasdam additiones quam distincta proprietas ab illa quae idcirco hac unica sectione absolvemus.

Secunda itaque terminorum proprietas dicitur status et est acceptio termini communis sive materiali sive formali secundum illam temporis differentiam quam copula verbalis importat, ut: sedens scribit. Sedens hic dicitur habere statum quia ultra praesens tempus non extenditur. Et quia triplex est temporis differentia nempe praesentis, praeteriti et futuri, triplex etiam est status, ut: sedens scribit, est status temporis praesentis; sedens scripsit, est status temporis praeteriti; sedens scribet, est status temporis futuri. Unde universaliter verum est, quod quando praedicatum nequit competere subiecto nisi supposita existentia subiecti, tunc illud subiectum dicitur habere statum in illa temporis differentia quam copula verbalis importat. Quando vero praedicatum non supponit existentiam subiecti, tunc non dicitur habere statum in propositione ut contingit in propositionibus necessariis v.g: Homo est animal – ubi *est* non significat existentiam sed necessariam connexionem praedicati cum subiecto et format hunc sensum: Homo qui est, qui fuit et qui erit est animal.

Ampliatio quae statui opponitur est acceptio termini ad plures differentias temporis, etiam non importatas per verbum, ut: Iustus salvabitur. Hic

habetur ampliatio quia licet per verbum importatur tantum futurum, extenditur tamen significatio etiam ad praesens et praeteritum, quia omnes iusti, sive praeteriti, sive praesentes, sive futuri salvantur.

Restrictio est acceptio termini ob aliquod additum coarctata a minore significatione ad maiorem, quae ipsi ex natura rei competit, ut: Discipulus diligens evadet doctus – ubi li discipulus restringit per diligentiam ad discipulos diligentes.

Diminutio est acceptio termini cum aliqua voce modificante significatum eius ita ut significatio termini transeat ad significatum secundum quid, ut: Maurus est albus secundum dentes. Li 'secundum dentes' diminuit subiectum et facit ne praedicatum significet totum Mauri corpus esse album.

Alienatio est acceptio termini a propria eius significatione ad impropriam ob aliquem alterum additum, ut: Homo pictus non est animal rationale. Li 'pictus homo' per terminum pictus alienatur sive transfertur ad significandam hominis imaginem.

Appellatio est acceptio termini pro suo significato quod ipsi convenit ex aliquo termino appellante, ut: Antonius S. est iustus, quantenus appellatur sanctus, dicitur iustus, quia individuum naturae humanae indifferens est ad iustitiam et iniustitiam. Adverte tamen terminum denominantem dici appellentem, denominatum dici appellatum; et denominativum dici appellativum.

Quaestio VII: Quid sit sonus, quid vox, quid signum et quae eorum divisio?

Sonus quantum ad praesens describi a posteriori quod est audibile seu perceptibile a sensu auditico; quae descriptio convenit omnibus fragoribus, strepitibus, sonitibus undequaque provenientibus et rationem soni participantibus.

Vox vero quae est species soni est sonus ab ore animalis causatus sive prolatus immediate vel ab aliquo aequivalente mediantibus naturalibus instrumentis vel aequivalentibus cum intentione aliquid significandi.

Explicatur haec descriptio:

Dicitur enim 'sonus', quod habet rationem generis, quia per hoc convenit vox cum aliis sonis tubarum, fistulae etc reliqua ponuntur pro differentia.

Per hoc enim quod dicitur 'ab ore animalis immediate causatus' excluduntur soni tubarum, fistulae etc quae non dicuntur propriae voces, quia non causantur immediate ab ore, de mediante tuba, fistula etc. Similiter echo non videtur esse proprie vox quia non ab ore sed ab apposito obiecto conclavo immediate causatur.

Dicitur ulterius 'vel ab aliquo aequivalente' ut per hoc detur intelligi angelo in aliquo corpore assumpto vocem fieri posse.

Dicitur 'mediantibus naturalibus instrumentis' ut excludantur voces quae fiunt ab hominibus corentibus iisdem instrumentis quae sequentibus versibus comprehenduntur:

Instrumenta novem sunt: guttur, lingua, palatum quatuor et dentes et duo labra simul.

Noe gutturis intelliguntur omnia interiora, ut: pulmones, artheria, aspera et alia intrinsece concurrentia ad formationem vocis.

Additur tandem in definitione vocis 'cum intentione aliquid significandi', quia hic definivimus vocem perfectam et completam propter quod ratione vocis excluduntur v. g. sybillus inaniter factus aut infantum ratione carentium varii garitus, clamores etc.

Dividitur autem vox in articulatam et inarticulatam.

Prima est illa quae constat syllabis, ut: homo, lapis etc.

Secunda est quae non habetlitteras et syllabas, ut: suspyria, risus etc.

Utraque haec vox subdividitur in significatam et non significatam.

Vox articulata est superius explicata.

Vox inarticulata significativa est quae aliquid significat ut risus, qui internam animi laetitiam indicat; inarticulata non significativa est quae nihil significat ut sybillus.

Vox significata alia est significata naturaliter, alia ad placitum.

Prima est quae apud omnes idem repraesentat, ut: suspirius, fletus, risus etc.

Secunda est quae ad placitum primi instituentis aliquid significat, ut homo etc.

Cum his vocibus competat etiam ratio signi videndum est quid sit signum.

Dico: Signum proprie sumptum et pro hoc statu nobis deserviens est id quod praeter sui cognitionem, quam ingerit sensibus, facit nos venire in cognitionem alterius. Ita s. Augustinus, libro secundo *De doctrina Christiana*, cap. I., quem sequitur Scotus, Mastrius, *Tractatu primo*, cap. 2. ubi nimis audacem appellat Pontium, qui tanti Doctoris quem omnes venerantur, sententiam audeat reprobare et minimo rubore suffusus doctrinam Scoti praeceptoris audeat impugnare. Optima enim est illa descriptio quoad omnes partes si bene intelligatur: nam duae solent assignari conditiones ad hoc, ut aliquot dicatur signum.

Prima est, quod nos ducat in cognitionem alterius rei.

Secunda est, quod nos ducat in cognitionem sui ipsius quatenus cognitum se mediante prius sui cognitione, quod utrumque dicit allata definitio signi ab Augustino tradita ut patet etc. Ratio autem ob quam Pontius censurat hanc definitionem est quod nempe sit debilia signa spiritualia quae facer-

ent nos venire in cognitionem alterius absque eo, quod sui ingererent cognitionem sensibus utpote materialibus. Sed non advertit Pontiusquod s. Augustinus tantum definiverit signum stricte sumptum, et pro hoc statu alligationis ad sensum nobis deserviens seu signum sensibile.

Signum latius sumptum dividitur in formale et instrumentale.

Primum est quod absque sui cognitione aliquid repraesentat, ut: cognitio, visio – per quas cognosco cognitum obiectum sed ipsam cognitionem prius non cognosco nec visionem video; et hoc signum formale vocat Scotus praecise rationem cognoscendi, quatenus est praecise *quo* aliquid cognoscitur, et non *quod* cognoscitur.

Signum instrumentale est illud in conclusione definitum, quod enim a Scoto, in II., dist. 3., qu. 9., vocetur *medium cognitum*, quia ut ducit in cognitionem signati prius petit ipsum cognosci.

Signum instrumentale adhuc duplex est: aliud naturale, aliud artificiale seu ad placitum. Primum est quod ex natura sua independenter ab hominum voluntate aliquid repraesentet, ut fumus ignem et universaliter omnis effectus, praesertim si sensibilis sit, est signum causae iuxta sensum definitionis allatae. An vero etiam causa sit signum naturale sui effectus? Probabilius videtur ratio est quia effectus est signum naturale suae causae, quod propter naturalem connexionem quam habet cum ipsa, quoties excitantur species effectus, solent etiam excitari effectus ipsius causae; atqui similiter quando excitantur species causae, excitantur etiam species effectus; ergo causa potest dici signum naturale sui effectus, unde a theologis sacramenta dicuntur causa et signum gratiae.

Signum artificiale seu ad placitum est quod ex hominum impositione et voluntate aliud repraesentat, ut haedera quae repraesentat vinum venale; ex his potest signum tam naturale quam artificiale in vocibus et in rebus reperiri.

Signum naturale in vocibus est v. g. gemitus, risus.

Signum naturale in rebus est fumus qui indicat ignem, cicatrix quae ante acceptum vulnus repraesentat.

Signum ad placitum in vocibus est v. g. homo, leo etc.

Signum ad placitum in rebus est v. g. dicta haedera.

Dividitur adhuc signum in practicum et speculativum.

Primum est quando significando rem v. g. simul ipsam efficit, ut causa, quae est signum effectus, et simul ipsum efficit.

Secundum est quando praecise ducit in cognitionem alterius, illud enim efficiendo, ut haedera, quae est signum vini venalis, et illud non efficit.

Demum dividitur signum in rememorativum, quod rem praeteritam indicat ut cicatrix ante acceptum vulnus, demonstrativum, quod rem praesen-

tem denotat ut haedera, et pronosticum, quod rem futuram nobis significat, ut nubes obscurae quae sunt pronosticum signum pluviae.

Hinc pro complemento advertes signum spectare ad primam mentis operationem quia de ratione signi est, quod faciat tantum simpliciter innotescere id cuius est signum; hinc quando diximus omnem causam sui effectus et econtra, non ideo diximus esse signum, quod qui cognoscit effectum, possit per discursum devenire in cognitionem causae, sed ex eo, quod excitata specie causae propter connexionem, quae est inter causam et effectum, excitantur species etiam ipsius effectus.

Quaestio VIII: De universalibus seu praedicabilibus deque terminis cathegoricis et praedicamentibus

Quamquam specialiter et fusius de his omnibus tractabimus in Logica magna pro meliori tamen intelligentia aliquarurn rerum, maxime definitionum, quae constant genere et differentia, hinc enim in Dialectica, aliqua de his praemittere ne pigeat.

Haec autem sunt huiusmodi universalia, nempe: genus, species, differentia, proprium et accidens.

Genus ergo, primum praedicabile iuxta Porphyrium, est illud quod praedicatur de pluribus specie differentibus in quid incomplete id est essentialiter. Est autem genus triplex, scilicet:

Genus generalissimum seu supremum, et est illud quod supra se non habet aliud genus; tale est substantia, et licet supra se substantia habeat *ens*, hoc non obstat, quia substantia sit genus supremum quia ensnon est genus sed transcendens commune Deo et creaturis.

Secundum genus est subalternum seu medium et est illud quod tam supra se quam infra se habet aliud genus. Tale est corpus, quod supra se habet genus, nempe substantiam, et infra se habet aliud genus nempe animal.

Tertium est genus infimum et est illud quod infra se nullum habet aliud genus, bene vero supra se; tale est li animal, infra quod nullum aliud genus restat.

Species est id quod praedicatur de pluribus solo numero differentibus in quid complete scilicet dicit totam naturam eorum et essentiam, ut homo; nam quaerenti: Quid sit Petrus? Si respondes quod sit homo exprimis totam essentiam.

Species dupliciter considerari potest scilicet vel ut subiicibilis vel ut praedicabilis. Ut subiicibilis est illa quae ponitur sub genere et haec nequit esse genus ut subiicibilis. Species praedicabilis est illa quae respicit inferiora et haec respectu eorum potest esse genus. Species sub ista ratione subicibilita-

tis est triplex: summa seu suprema, media seu subalterna, infima et ultimum quae dicitur athoma et specialissima.

Species subiicibilis summa est quae mediate ponitur sub genere supremo, ut corpus in praedicamento substantiae.

Media seu subalterna est quae immediate non ponitur sub genere supremo nec mediate continet sub se individua ut vivens et animal in eodem praedicamento substantiae.

Infima seu specialissima est quae sub se immediate continet individua et mediate continetur sub genere ultimo et proximo, ut 'homo' in eadem serie substantiae, qui immediate continetur sub animali et immediate sub se continet Socratem et Platonem.

Distinctio est universale quod praedicatur de pluribus numero vel specie differentibus in quale quid, hoc est significans eorum qualitatem essentialem seu quidditativam, v.g. rationale est distinctio hominis; nam querenti: Quid sit homo? – essentialiter respondetur quod sit rationalis. Haec quod dulpex sit, videbitur in Logica.

Proprium est universale, quod praedicatur de multis in quale necessario. Cuius divisiones clarius in Logica patebunt.

Accidens est universale, quod praedicatur de multis contingenter seu est id, quod potest adesse vel abesse sine subiecti corruptione. Quae lucidius agendo de hoc clarebunt.

Termini praedicamentales significant res aliquas coordinatas in aliquod certis classibus, quae vocantur categoriae seu praedicamenta; nam categoria seu praedicamentum nihil est aliud quam coordinatio quaedam generum et specierum seu debita dispositio praedicamentorum essentialium superiorum et inferiorum secundum sub et supra usque ad individua; et licet plura esse possint, ad haec tamen decem omnia alia reducuntur, quae sunt nempe: substantia, quantitas, qualitas (et haec sunt absoluta), relatio, actio, passio, ubi, quando, situs et habitus, quae sunt respectiva omnia exceptis illis tribus nominatis.

Substantia est ens absolutum, per se subsistens, ut homo.

Quantitas est accidens absolutum, quod adveniens rei facit illam extensam in ordine ad locum, vel ad tempus: unde res denominatur magna vel parva, diudurna vel brevis.

Qualitas est accidens absolutum, secundum quid subiectum quale contingenter, ut albedo, calor etc.

Relatio est accidens per quod unum refetur ad aliud, ut paternitas, per quam homo refertur ad filium, id est homo generans, ad filium quem genuit.

Prior enim dicitur fundamentum relationis et posterior dicitur terminus. Nam fundamentum est id, quod refertur per relationem ut pater; terminus vero est illud aliud, ad quod refertur, ut filius.

Actio est accidens, per quod dicitur aliquis agere, ut v.g. cum ignis calefacit, actio eius est illud, per quod formaliter producit calorem in ligno.

Passio dicitur effectus et illatio ab actione, seu accidens quo subiectum dicitur formaliter patiens, ut quando lignum calefit, illud, quo recipit calorem dicitur passio.

Ubi est accidens, quo res dicitur esse in loco, v.g. sum in templo, id quo circumscribor, in illo loco, dicitur ubi.

Quando est accidens quo res dicitur esse in tempore v.g. id, quo res dicitur fuisse heri, aut futura cras; heri et cras pertinent ad hoc praedicamentum

Situs est illud, quo res existens in loco habet talem vel talem partium dispositionem v.g. sedet, stat aut iacet.

Habitus denique est corporum et eorum quae circa corpus sunt adiacentia, seu denominatio extrinseca resultans ex illa adiacentia v.g. armorum, vestium, ornamentorum; unde res dicitur vestita, ornata etc. Et haec pro hunc leviter attigisse sufficiat ad puram notitiam terminorum, nam de praedicamentis, sicut et de universalibus plenior redibit tractatus; haec tamen, quae spectant ad primam mentis operationem, sint satis dicta.

Disputatio II: De propositione et eius affectionibus

Quaestio I: De nomine et verbo

Antequam de propositione agemus, prius de partibus eius, quae sunt nomen et verbum congrue praemittitur quaestio, sicut enim ordine naturae partes praecedunt nomen et verbum, ita et de eis prius tractandum occurit.

Dico I: Nomen est vox significativa ad placitum sine tempore cuius nulla pars idem significat finita et recta. Ita Aristoteles, libro primo *Peri hermeneias*et Doctoribidem. Explicatur:

Dicitur 'vox significativa' ut excludantur voces non significativae ut 'plictri'.

Dicitur 'ad placitum' ut excludantur voces significativae naturales, ut risus, fletus.

Dicitur 'sine tempore' ut excludatur verbum, cuius proprium est significare 'cum tempore'.

Pro cuius intelligentia advertendum est, quod aliud est significare tempus, aliud connotare tempus, et aliud consignificare tempus seu significare cum tempore.

Nam significare tempus, est significare rem quae est tempus, ut hora, dies, mensis etc. Connotare tempus est aliquid significare, quod determinato tempore fieri solet, ut caena, prandium, ientaculum etc.

Consignificare tempus seu significare cum tempore est significare rem esse vel non esse, fieri vel non fieri in aliquo tempore ut curo, quod significat cursum fieri tempore praesenti, unde sequitur, quod et nomen possit significare et connotare tempus, non tamen potest consignificare tempus seu significare cum tempore.

Dicitur 'cuius nulla pars separata idem significat', ut notionem distinguatur ab oratione, cuius partes retinent eandem significationem quam habebant in oratione. Hinc et 'dominus' et 'respublica', aliquid separata posint significare ut do-minus et res-publica, tamen non significant idem quod coniuncta, sed aliquid aliud.

Dicitur 'finita' ut excludantur a ratione notionis omnia infinita ut non homo, non lapis etc. Dicitur 'recta' ut excludantur casus obliqui, quales sunt omnes praeter nominativum, et etiam ut excludantur termini syncategorematici, qui non dicuntur recti, eo quod se solis nequeunt in propositione collocari.

Aliquae solent esse divisiones nominis, quae magis ad grammaticos quam ad dialecticos spectant et idem dicendum est de aliquibus divisionibus verbi sed qua hic tantum definit Aristoteles nomen et verbum logicale; ideo illas brevitatis causa ommitto.

Dico II: Verbum est vox significativa ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata idem significat, finita et recta, et est semper eorum, quae de altero dicuntur.

Nota: Est Aristotelis, primo *Peri Hermeneias,* capite 30. Primae duae particulae patent ex explicatione nominis, reliquae explicantur.

Dicitur ulterius 'finita' ut excludantur verba infinita, ut non amo, non studeo etc.

Dicitur 'recta' ut exludantur rationes modi, et tempora per tempus praesens indicativi modi: quia alia tempora et modi ad praesens et ad indicativum referuntur, et sunt potius modi et tempora verborum quam verba et licet ex verbis praeteriti et futuri temporis construantur propositiones v.g: Aristoteles audivit Platonem – et: Antichristus nascetur; tamen hae propositiones sunt potius grammaticales et non dialecticae, quia Dialectica agit de veritate et falsitate, et cum veritas et falsitas aliorum temporum dependeat a tempore praesenti (ideo et haec propositio est vera: Aristoteles audivit Platonem – quia olim tempore praesenti verum fuit dicere: Aristoteles audivit Platonem) igitur hoc solum tempus praesens consideratur a dialecticis ex

quo solo veritas propositionum mensuratur, et ex quo solo propositiones dialecticae construuntur.

Additur tandem 'et eorum quae de altero dicuntur nota' ad excludendum participium, quod significat cum tempore, nunquam tamen potest esse nota seu unio extremorum, et copula extremorum in propositione.

Quaeres I: Quid et quotuplex sit oratio?

Dico: Oratio est vox significativa ad placidum, cuius aliqua pars separata significat, ut dictio, non ut affirmatio vel negatio; est communis apud philosophos; et explicatur.

Dicitur 'vox significativa ad placitum', in quo oratio convenit cum nomine et verbo, cum hoc tamen discrimine, quod nomen et verbum significent ad placitum ratione sui, oratio vero ratione suarum partium, numquam enim aliquis totam istam orationem: Homo est animal – imposuit ad significandum aliquid, sed praecisae partes illius sunt impositae.

Dicitur autem 'vox' in singulari, non quidem vox simplex et incomplexa, sed composita et complexa, quia dictiones efficientes orationem debent habere aliquem ordinem et unitatem inter se propter quam oratio dicitur vox una, non enim voces nullo modo inter se unitae efficiunt orationem, ut v.g: iste lapis, hoc coelum etc sed debent esse vel per copulam vel se ipsis aliquomodo unitae, ut dum est, de termino complexo.

Dicitur 'cuius aliqua pars separata' significat ad differentiam nominis et verbi, ac etiam ut detur intelligi non esse necesse, ut omnes partes sint significatione per se, sed satis est, quod aliqua pars eius significativa per se, aliae vero ut sint consignificativae quales sunt syncategorematicae.

Additur tandem 'ut dictio, et non ut affirmatio vel negatio' ad denotandum, quod partes orationis debeant esse significativae, saltem ut dictio, nec requiritur ut sint significativae, ut affirmatio vel negatio, quamvis et hoc fieri clare potest in orationibus hypotheticis quales sunt haec: Petrus disputat, et: Paulus dormit – cuius partes significant ut affirmatio.

Oratio sic descripta dividitur in perfectam et inperfectam.

Prima est, quae in mente audientis generat perfectum sensum, ita ut animum quietem reddat ne quidquam aliud exspectet, ut: Deus est summum bonum.

Secunda est, quae non generat in audiente perfectum sensum sed relinquit in audiente animum suspensum, ut si dicas: Si Deum timueris – ista est verbum verbo, ut allato exemplo, vel sine verbo ut: homo albus.

Oratio perfecta adhuc duplex est, ennuntiativa scilicet et non ennuntiativa.

Prima est, quae verum vel falsum dicit, et ideo fit in modo indicativo, ut: Homo est animal. Secunda est, quae licet perfectum sensum generat et quietem animum audientis non tamen dicit verum vel falsum, ut si dicas modo optativo: Utinam Deum timeres; vel imperativo: Deum time; vel interrogativo: Quid facis; vel vocativo: O Deus omnipotens – et iuxta hos modos oratio dividitur in: imperativam, optativam, interrogativam, vocativam, interrogativam (bis scriptum!).

Adverte tamen, ad orationem tria requiri; primo, plures voces; secundo, ut tales voces quae sunt partes orationis significent illud idem extra ordinem, ac in illa; tertio, ut tales voces seu partes orationis sint inter se grammaticaliter instructae.

Quaeres II: Quid sit modus sciendi ut sic et in quot partes dividitur?

Dicendum: Modus sciendi est oratio ignota distincte manifestativa in ordine ad scientias comparandas; ita communiter summulistae. Et explicatur:

Dicitur 'oratio', in quo convenit cum aliis orationibus, quae non sunt modi sciendi; a quibus differt per caeteras distinctiones particulas.

Dico II: Modus ut sic recte et adaequate dividitur in definitionem et divisionem et argumentationem; et est communis. Probatur: Non dantur plures nec pauciores modi sciendi quam hi tres; ergo haec divisio etc. Probatur antecedens quoad utramque partem. Tot sunt modi sciendi quod sunt ignota; obscura diversimode manifestabilia atqui haec sunt tantum tria; ergo non etc. Probatur minor: Ignotum obscure vel est incomplexum vel complexum; si est incomplexum, vel est manifestabile quoad essentiam et quidditatem, et sic manifestatur per definitionem hanc v.g: Homo est animal rationale; vel vero illud incomplexum est manifestabile quoad partes, et tunc manifestatur per divisionem. Sic v.g. homo manifestatur per divisionem hanc, cuius alia pars est anima et alia corpus; si vero ignotum obscurum est complexum, ut in hac: Petrus est risibilis – tunc manifestatur per argumentationem hoc modo: Omnis homo est risibilis; sed Petrus est homo; ergo Petrus est risibilis. Ergo cum tantum sint tria ignota diversimode manifestabilia tres tantum modi erunt sciendi, scilicet: definitio, divisio et argumentatio.

Objicies contra: Probando quod tantum unus sit modus sciendi; sola argumentatio est sciendi; ergo nec definitio nec divisio. Probatur antecedens: Illud est tantum modus sciendi quod generat scientiam; sed sola argumentatio generat scientiam; ergo sola argumentatio etc.

Respondendo antecedens negando, ad probationem distinguo maiorem: Illud est tantum modus sciendi quod generat scientiam stricte sumptam, nempe prout sumitur pro notitia certa et evidenti parta per discursum, nego maiorem; illud est tantum modus sciendi quod generat scientiam minus

stricte sumptam, hoc est prout scientia sumitur pro notitia rei ignotae et obscurae, distincte manifestativa quod sit, aut quales partes habeat res illa obscura, negando maiorem, similiter distinguo minorem; sed sola argumentatio generat scientiam minus stricte sumptam prout scientia sumitur pro notitia distincte manifestativa, nego minorem; sed sola argumentatio generat scientiam stricte sumptam, concedo minorem et nego consequentiam. Non enim est hic sermo de modo sciendi perfectissimo et perhabetur evidentia rei per demonstrationem, sed solum de modo sciendi quo manifestatur evidentia rei quod licet fiant per demonstrationem, non tamen per solam sed etiam per definitionem et divisionem; his facile solves alia argumenta.

Quaeres III: Quid et quotuplex sit definitio?

Explicatur: explicata natura modi sciendi ut sic, nunc in communi ad eius speciem descendimus, quorum prima est definitio, quae ab Aristotele, I. *Topicorum*, cap. 4. definitur, quod sit oratio quodquod esse rei significans est. Quae descriptio non est tantum definitionis quod rei, et non quod nominis. Duplex enim est definitio: ut quod rei, altera quod nominis, quae originem et etimologiamac significationem nominis explicat, ut dum dico: Dux est qui alios ducit; homo est qui ex humo factus est; sol est qui solus est in orbe. Sed haec definitio *quod nominis* non solet dici propria definitio sed valde lato modo, quare hac dimissa ad aliam definitionem *quod rei*dictam progredo.

Dico: Definitio est oratio explicans naturam et essentiam rei. Est communis et cum incidit cum Aristotele. Illud autem cuius natura explicatur seu quod definitur dicitur definitum, et quod explicat naturam definiti dicitur definitio; quod enim definitum confusum indicat, hoc recte et explicite definitio declarat, ut: Homo est animal rationale; homo est definitum, et animal rationale est definitio.

Declaratur:

Dicitur 'oratio' in quo tamquam in genere convenit definitio cum divisione et argumentatione ac aliis orationibus, quae non sunt modi sciendi, per reliquas vero partes differt ab eis, quia divisio non naturam rei sed partes explicat; argumentatio enim non manifestat naturam alicuius rei simpliciter, sed an proprio sit vera vel falsa demonstrant.

Objicies: Idem nequit esse definitio et definitum; sed si definitio posset definiri, esset simul definitio et definitum, quod non est dicendum; ergo definitio nequit definiri. Maior patet quia alias idem esset notius et ignotius se ipso, cum definitio debeat esse notior definito.

Respondeo: Distinguo maiorem: idem nequit esse definitio et definitum simul formaliter et essentialiter, concedo maiorem; idem nequit esse defini-

tio formaliter, et simul definitum denominative et accidentaliter, nego maiorem; similiter distinguo minorem et nego consequentiam; frequens enim est hoc in secundis intentionibus quod una sit formaliter talis et simul alia denominative. Sic igitur formaliter est secunda intentio generis, denominative vero est species universalis. Intellectus enim per reflexionem potest supra unam secundam intentionem inducere; sic igitur in proposito, quamvis nequeat definitio simul esse definitum formaliter, potest tamen esse definitio formaliter et essentialiter, et definitum denominative, ex quo enim habetur, quod idem non definiatur per se ipsum, definitio nempe per definitum, praeterquam quod hic definitio quae definitur sumatur in actu signato pro ipsa secunda intentione, definitio vero quae ipsam definit sumitur in actu exercito; et sic ipsa definitio quae hic definitur habet in actu exercito rationem definiti, et in actu signato tantum rationem definitionis, non vero rationem definiti, quae sunt diversa.

Dividitur autem definitio in definitionem metaphysicam et physicam.

Metaphysica est quae per conceptus metaphysicos naturam rei explicat; et est duplex: quidditativa scilicet et descriptiva.

Quidditativa, quae explicat naturam rei per differentiam essentialem ut haec: Homo est animal rationale.

Descriptiva est quae explicat naturam rei per propriam passionem illius ut haec: Homo est animal risibile.

Definitio physica est quae explicat naturam rei per causas physicas illius ideoque etiam dicitur causalis, et est duplex, essentialis scilicet et accidentalis.

Essentialis est quae datur per causas intrinsecas, quae sunt de essentia compositi, ut sunt causae materialis et formalis, ut cum dicimus: Homo constat corpore et anima.

Accidentalis est quae datur per causas extrinsecas, quae non sunt de essentia compositi, ut sunt causae efficiens et finalis, ut cum dicimus: Homo est productus a Deo et ordinatus ad vitam aeternam.

Ut vero aliquis possit cognoscere quando definitio est bona et quando non, advertendae sunt hae quinque sequentes conditiones bonae definitionis:

Prima est, quod definitio constat genere et differentia, quod est proprium definitionis quidditativae metaphysicae, ut haec: Homo est animal rationale. Animal est genus, rationale est differentia vel aliquo loco generis, hae differentiae, quod convenit definitio physicae essentialis, ut haec: Homo constat corpore et anima – in qua li 'corpore' ponitur loco generis, quia corpus seu natura est quid determinabile per formam, sicut genus est contrahibile per differentiam; li 'anima' ponitur loco differentiae, quia anima seu

forma est quod determinans corpus seu materiam sicut differentia, est quid contrahens et determinans genus.

Secunda conditio est quod definitio omni suo definito et non aliis conveniat, quia cum definitio debeat explicare essentiam definiti prout distinctam a quocumque alio, hoc nullatenus posset praestare, nisi omni suo definito et non aliis convenire, ut ex se patet.

Tertia conditio est quod definitio convertatur cum suo definito, ita ut ab uno ad aliud valeat convertentia, tam affirmativa quam negativa, ut cum dicimus: Non est homo; ergo est animal rationale, et haec converso: Est animal rationale; ergo est homo. Similiter: Non est homo; ergo non est animal rationale, et haec converso: Non est animal rationale; ergo non homo. Haec conditio sequitur ex praecedenti, et ex utraque sequitur, quod omnia praedita, quod in re conveniunt definito, conveniunt definitioni etiam e contra.

Quarta conditio est quod definitio debeat esse clarior suo definito, quia cum definitio debeat explicare naturam definiti, et explicatio debeat esse clarior explicato; nam quod est aeque ignotum et confusum nequit explicare ignotum et confusum; hinc est quod definitio clarior suo definito apparere debet.

Quinta conditio, quod definitio non sit superflua neque diminuta, nam si est superflua, potius generat confusionem quam claritatem. et si est diminuta non explicat quidquid non definitum.

Hae conditiones conveniunt definitioni quidditativae et possunt adaptari definitioni descriptivae, excepta prima; nam propria passio, per quam datur definitio haec, non est essentialiter definitio sed tantum lato modo.

Ut autem cognoscatur quibus possit applicari definitio sciendum est quod definitum cuius essentia seu natura per definitionem explicatur, quinque etiam debet habere conditiones:

Prima conditio, quod si ens reale, et sic excluduntur a ratione definiti, impossibilia, negationes et entia rationis, quae omnia, cum non habeant propriam et rigorosam essentiam, nequeant quidditative definiri sed tantum definitione late sumpta seu nominis.

Secunda conditio est, quod definitum sit unum per se, et sic excluduntur a ratione definiti entia per accidens ut album, et per aggregationem ut acerbus lapidum, quia licet cuiusmodi entia possunt suo modo explicari, non tamen quidditativa definitione definiri, quia non sunt unum sed plura simpliciter entia.

Tertia conditio est quod definitum in plures conceptus resolvi posse, eo quod definitio quidditativa, ut dictum, debet constare conceptu generis vel

eo quod ponitur loco generis et conceptu differentiae vel eo quod ponitur loco differentiae.

Quarta conditio est quod definitum non sit singulare sed universale, quia singulare non habet aliam essentiam ab essentia speciei; unde essentialiter tantum de definitione speciei potest definiri.

Quinta conditio est quod definitio non sit ens aequivocum sed univocum, quia definitio debet esse alicuius essentiae determinatae, quae solum dicit univocum; aequivocum vero indeterminate plures essentias continet, unde ortum est breve proloquium: Aequivoca sunt distinguenda prius quam definienda.

Praedictae conditiones commune admittuntur a Philosophis et deducuntur ex Scoto pluribus in locis et praecipue in IV., dist. 1., qu. 2. Ex praedictis igitur facile deducitur quommodo respondendum interrogantide definitione; nam si aliquis inquirat: quae definitio est? respondendum est, est definitio physica vel metaphysica. Si autem inquirat, qualis est definitio? Respondendum est: vel quidditativa vel descriptiva, intrinseca vel extrinseca, bona vel mala; non autem est dicendum vera vel falsa, quia veritas vel falsitas proprietates sunt ennuntiationis non vero definitionis.

Quaeres VI: Quid et quotuplex est divisio? Dico: Divisio est oratio distribuens commune per minus communia seu, ut alii dicunt, est oratio totum in suas partes distribuens. Quae definitio sic explicatur:

Dicitur 'oratio' in quo corvenit cum aliis orationibus quae divisiones non sunt. Per alias particulas differt ab aliis orationibus quae non sunt divisiones. Ubi advertendum est quod illud, quod dividitur, vocatur divisum, et partes, in quas dividitur, dicuntur membra dividentia.

Pro clariori tamen notitia advertendum est secundo quod divisibile seu divisum multipliciter sumitur.

Primo dicitur divisum totum quantitativum seu integrale, et hoc dividitur in suas partes quantitativas seu integrales, quae sunt in duplici differentia scilicet homogenea seu eiusdem rationis et heterogenea seu diversae rationis, quando totum dividitur in partes eiusdem rationis, ut aqua in suas partes, dicitur divisio heterogenea; homogenea, quando vero in partes diversae rationis ut homo in caput, manus, pedes etc dicitur divisio heherogenea. Haec divisio pertinet ad mathematicos.

Secundo dicitur divisum totum essentiale et est duplex physicum scilicet et metaphysicum. Physicum est quod constat partibusphysicis in quas dividitur ut homo in corpus et animam; et haec divisio physica et pertinet ad physicos. Metaphysicum est quod constat partibus metaphysicis in quas

dividitur, ut homo in animalitatem et rationalitatem. Et haec divisio dicitur metaphysica et pertinet ad metaphysicos.

Tertio dicitur divisum totum logicum et est quaedam ratio quae a logico consideratur ut quid commune pluribus illam participantibus, ut quando animal dividitur in rationale et irrationale. Quae divisio dicitur logica ideoque de illa praecipue agimus in praesenti. Ex quo cognoscitur quod prima definitio est propria divisionis logicae, secunda vero divisionis in communi, prout omnes supradictas sub se comprehendi.

Haec ergo divisio logica dividitur in divisionem per se et per accidens.

Divisio per se dicitur quando divisum per se convenit inferioribus ut quando animal dividitur in rationale et irrationale. Haec essentialis divisio vel est transcendentalis vel generis in species, vel speciei in individua, ad quorum cognitionem attendenda est ratio divisi et membrorum dividentium ex quibus divisio sumit denominationem; quod in Logica clarius patebit in arbore praedicamentali.

Divisio logica per accidens dicitur quando divisum accidentaliter convenit membris dividentibus et est triplex.

Prima dicitur divisio accidentis in subiectum ut quando dividitur album in hominem et equum.

Secunda dicitur subiecti in accidentia ut quando dividitur in album et nigrum.

Tertia dicitur divisio accidentis in accidentia ut quando dividitur album in dulce et amarum. Aliter dividitur divisio in divisionem univoci in univocata, aequivoci in aequivocata et analogi in analogata; quod patet ex dictis circa hos terminos.

Ut vero sit bona et adaequata divisio quinque communiter requiruntur conditiones:

Prima est quod divisum participetur aequaliter a membris dividentibus quod praecipue intelligitur de divisione aequivoca.

Secunda conditio est quod membra dividentia habeant inter se aliquam distinctionem et oppositionem seu impossibilitatem (composibilitatem) in unico concepto.

Tertia est quod divisum praedicetur de membris dividentibus seorsim vel coniunctim sumptis.

Quarta conditio est quod unum membrum dividens non praedicetur de alio.

Quinta conditio est quod membra dividentia adaequent diviso.

Adhuc aliae conditiones solent ab aliquibus adduci, quae omnes facile ad praedicta praeducuntur. Ex quibus facile deducitur quomodo sit arguendum circa divisionem; a diviso enim ad omnia membra dividentia simul valet consequentia et vicissim, tam affirmative quam negative; a diviso ad quodlibet membrum dividens seorsim valet negative non vero affirmative, et contra vero a quolibet membro dividente seorsim ad divisum valet affirmative non vero negative; ab imo membro dividente ad aliud non valet affirmative nec negative; quod omne facile potest reduci ad praxim in divisionem v.g. animalis, quod dividitur in rationale et irrationale. Deducitur etiam quomodo responderi debeat circa divisionem, si enim inquirat: Quae sit divisio? Respondendum est: Est mathematica, physica, metaphysica vel logica; per se vel per accidens. Si autem inquirat: Qualis sit? Respondendum est: Vel generis in species, vel subiecti in accidentia, univoci in univocata, aequivoci in aequivocata, bona vel mala, non autem vera vel falsa, quia, ut dictum est, veritas et falsitas non sunt proprietates divisionis sed ennuntiationis de qua infra.

Quaestio II: Quid et quotuplex sit propositio?

Nota I: Quod propositio et ennuntiatio sint idem et tantum penes diversum respectum differant; nam si propositio ponatur sola, dicitur ennuntiatio, quasi simpliciter unum de alio ennuntians. Si vero ponatur in argumentationem, dicitur propositio, quasi pro alio poneretur scilicet pro inferenda conclusione.

Nota II: Quod Aristoteles duplicem tradat propositionis definitionem et quidem primam ponit I. *Peri hermeneias* cap. primo, dum ait: Propositio est oratio verum vel falsum significans, ut v. g: Petrus est homo; Petrus est lapis. Prima verum significat, secunda vero falsum importat; et I. *Priorum* cap. primo ait: Propositio est oratio affirmativa vel negativa alicuius de aliquo, ut: Petrus est homo; Petrus non est lapis – quae definitiones ab omnibus ferme summulistis recipiuntur; sed quia neutra explicat exacte essentiam propositionis, quae esset univoce communis propositioni affirmative et negativae, verae et falsae; ideo cum multis aliis aliter potest definiri: Propositio est oratio ennuncians unum de alio. Haec enim convenit tam propositioni affirmativae quam negativae, tam verae quam falsae.

Adverte tamen breviter quod in qualibet propositione tria considerari possunt; quae autem sunt illa (Vide disputationem primam, quaestionem primam).

Dividitur propositio ut sic in categoricam et hypotheticam.

Propositio categorica dicitur illa quae absolute et sine dependentia ab alio enunciat unum de alio, ut: Homo est albus.

Hypothetica est illa quae unum de alio enunciat ex aliqua suppositione, ut: Si sol lucet, dies est.

Propositio categorica rursus dividitur in absolutam et modalem.

Absoluta est illa in qua non explicatur modus quo praedicamentum convenit subiecto, ut: Homo currit.

Modalis est illa quae axplicat modum quo praedicatum convenit subiecto, ut: Homo contingenter curit.

Propositio tam categorica quam hypothetica subdividitur in complexam et in incomplexam.

Categorica incomplexa est quaelibet propositio simplex, ut: Petrus currit.

Complexa est coniunctio duarum vel plurium propositionum simplicium, et est duplex scilicet copulativa ut quando intervenit coniunctio *et,* ut: Petrus currit, et Ioannes audit; et disiunctiva, ut quando intervenit disiunctio *vel*, ut: Petrus currit, vel Ioannes audit. Propositio hypothetica incomplexa dicitur quando enuntiat unum de alio ex una tantum suppositione, ut: Si sol lucet, dies est.

Propositio hypothetica complexa dicitur quando enunciat unum de alio ex duplici suppositione, ut: Si sol lucet et mundum illustrat resplendent montes.

Tam propositio categorica quam hypothetica amplius dividuntur ratione materiae, quantitatis et qualitatis; de quibus ordine suo loquemur. Dividitur ergo propositio categorica ratione formae in constantem verbo substantivo, ut: Homo est albus; et inconstantem verbo adiectivo, ut: Homo currit – quae utraque dividitur iuxta diversa tempora verborum.

Propositio categorica ratione materiae dividitur in necessariam, contingentem et impossibilem. Necessaria est affirmativa in materia naturali, ut: Homo est animal – et negativa in materia remota, ut: Homo non est lapis. Propositio contingens est negativa et affirmativa in materia contingenti, ut: Homo currit; homo non currit. Propositio impossibilis est affirmativa in materia remota, ut: Homo est lapis – et negativa in materia naturali, ut: Homo non est animal.

Propositio categorica dividitur in affirmativam et negativam.

Affirmativa est quando copula nullam habet negationem, ut: Homo est animal.

Negativa est quando copula habet negationem, ut: Homo non est animal.

Quaelibet istarum subdividitur in veram et falsam.

Vera dicitur illa quae significat rem sicuti est, ut: Homo est animal.

Falsa est illa quae significat rem aliter ac est, ut: Homo est lapis – homo non est animal.

Propositio categorica ratione quantitatis dividitur in universalem et particularem, indefinitam et singularem.

Universalis est in qua subiectum commune signo universali afficitur, ut: Omnis homo est animal.

Particularis est in quo subiectum commune afficitur signo particulari ut: Aliquis homo est animal.

Indefinita, quae sic dicitur quia non determinat quantitatem, est illa in qua subiectum commune nullo signo afficitur, ut: Homo est animal. Pro cuius maiori intelligentia notandum est quod si propositio indefinita est in materia naturali aequivalet universali. Idem enim est dicere: Homo est animal – ac: Omnis homo est animal. Similiter dicendum est in materia remota. Idem enim est dicere: Homo non est lapis – ac: Nullus homo est lapis. Si autem propositio fiat in materia contingenti, aequivalet particulari. Idem enim est dicere: Homo est albus – ac: Aliquis homo est albus.

Singularis est in qua subiectum est singulare, ut: Petrus est homo; hic homo est albus.

Propositio hypothetica ratione formae dividitur in conditionalem, causalem et rationalem.

Conditionalis est in qua nota illationis est particula *si*, ut: Si sol lucet dies est.

Causalis est in qua nota illationis est particula *quia*, ut: Quia homo est rationalis, est risibilis.

Rationalis est in qua nota illationis est particula *ergo*,ut: Petrus currit; ergo movetur. Propositio hypothetica ratione qualitatis dividitur in affirmativam et negativam.

Affirmativa est quando nota illationis nullam habet negationem, ut: Si est homo, est rationalis.

Negativa est quando nota illationis habet negationem, ut: Non si est homo, est rationalis. Utraque dividitur in veram et falsam modo dicto de propositione categorica.

Aliqua prae oculis habenda sunt ut veritas vel falsitas propositionis hypotheticae cognoscatur.

Primum est quod, ut conditionalis sit vera, solum requiritur bonitas consequentiae id est ut unum ex alio recte inferatur, sive sit suppositio vera sive falsa, ut: Si est homo, est rationalis; si homo non habet intellectum, non intelligit.

Secundum est, quod ad veritatem rationalis non sufficit bonitas consequentiae sed etiam requiritur quod suppositio sit vera, ut: Petrus currit; ergo movetur – erit suppositio vera si vera sit propositio scilicet quando Petrus currit; si autem suppositio fuerit falsa tota propositio erit falsa licet consequentia sit bona.

Tertium, quod ad veritatem causalis non sufficit bonitas consequentiae neque quod suppositio sit vera, etiam requiritur quod id quod supponitur sit causa illius quod sequitur; unde haec propositio est vera: Quia homo est rationalis, est risibilis – quia rationalitas est causa risibilitatis in homine. Haec autem est falsa: Quia homo est risibilis, est rationalis – quia licet bene inferatur consequentia et suppositio sit vera, tamen risibilitas non est causa rationalitatis in homine.

Propositio hypothetica ratione quantitatis dividitur in universalem et particularem, in definitam et singularem, modo dicto de propositione categorica, cum hac tamen advertentia quod quantitas propositionis hypotheticae desumitur ex quantitate propositionis categoricae quae habet rationem antithesis seu suppositionis in illa.

Ex quibus facile deducitur quomodo sequendum sit inquirenti circa propositionem attento sequenti carmine:

Quae, Ca; Vel Hip; qualis?

Ne, vel Aff; quanta?

Vel, par, in, Sin.

Explicatur:

Si enim inquirat: quae sit propositio? Respondendum est: est categorica vel hypothetica. Si autem inquirat qualis sit propositio? Respondendum est: negativa vel affirmativa, vera vel falsa; quia licet affirmatio et negatio sint differentiae essentiales propositionis, ut suo loco dicemus, tamen praedicatur de propositione per modum qualitatis seu in quale quod. Si demum inquirat: quanta sit propositio? Respondendum est: universalis vel particularis, indefinita vel singularis.

Solent et aliae divisiones seu appellationes ab authoribus adduci quas, quia sunt minoris momenti, lubens ommitto brevitati consulens. Unum addo scilicet quod in omnibus propositionibus quatuor haec notantur: materia, forma, quantitas, qualitas.

Materia propositionis est duplex: remota scilicet et proxima.

Materia remota sunt ipsi termini scilicet obiectum et subiectum.

Materia proxima est convenientia seu connexio horum terminorum ad invicem vel disconvenientia; et haec est triplex: necessaria scilicet contingens

et impossibilis; quas vide superius in propositione categorica ratione materiae.

Forma est copula quae nectit praedicatum cum subiecto.

Quantitas propositionis est extensio ipsius subiecti ad plura vel pauciora v.g: Omnis homo est risibilis; aliquis homo est risibilis. In prima propositione extenditur homo ad omnes homines, in secunda vero tantum ad aliquem.

Qualitas denique propositionis est quae attenditur penes affirmationem vel negationem quae afficit copulam seu verbum.

Quaestio III: De oppositione propositionum categorematicarum absolutarum

Cognita essentia et multiplicitate propositionum restat adhuc proprietates et affectiones explanare; quae sunt tres, videlicet: oppositio, aequipollentia et conversio. Hic de oppositione, in sequentibus vero quaestionibus de aequipollentia et conversione deque propositione modali eiusque oppositione et aequipollentia et conversione modali ac tandem de propositionibus exponibilibus.

Dico: Oppositio propositionum est duarum propositionum utrumque extremum eodem ordine participantium repugnantia. Quae definitio sic explicatur:

Dicitur 'utrumque extremum eodem ordine participantium repugnantia' per quod datur intelligi quod ad oppositionem necessario requiritur quod propositiones, quae opponuntur eisdem terminis constent id est quod subiectum unius sit subiectum alterius, ut praedicatum unius sit praedicatum alterius; quod debet intelligi secundum rationem significatam, secundum integritatem, secundum tempus, et secundum locum, et etiam quod in terminis debet observari eadem suppositio, diminutio, ampliatio, restrictio et appellatio, nisi hac ratione quantitatis provenient. Quod clarius patebit his exemplis. Hae propositiones: Canis est latrabilis; canis non est latrabilis – non sunt oppositae, quia cum terminus canis sit aequivocus, non servat eandem significationem in utraque propositione. Hae propositiones: Petrus disputat; Petrus non disputat – bene non sunt oppositae quia non servatur integritatem praedicato. Hae propositiones: Petrus currit; Petrus non currebat – non sunt oppositae quia non servant idem tempus. Hae propositiones: Christus est in sacramento sub speciebus panis et vini; Christus non est in caelo sub speciebus panis et vini – non sunt oppositae quia non servant eundem locum. Hae propositiones: Petrus est nomen; Petrus non est nomen – non sunt oppositae quia non servatur eadem suppositio; in prima enim supponitur Petrus materialiter pro ipsa voce, in secunda vero formaliter pro re signifi-

cata. Hae propositiones: Aediops est albus secundum dentes; Aediops non est albus – non sunt oppositae quia non servant eandem diminutionem. Hae propositiones: Iustus peccabat; iustus non peccat – non sunt oppositae quia non servant ampliationem. Hae propositiones: Homo currit; homo albus non currit – non sunt oppositae quia non servant restrictionem. Hae propositiones: Petrus est magnus scolasticus; Petrus Magnus non est scholasticus – non sunt oppositae quia non servant eandem appellationem. Idem dicendum est quando variatur vel habetur alia affectio terminorum.

Oppositio propositionum dividitur in: contradictoriam, contrariam, subcontrariam et subalternam.

Oppositio contradictoria est repugnantia duarum propositionum secundum qualitatem et quantitatem.

Oppositio contraria est repugnantia duarum propositionum universalium secundum qualitatem tantum.

Oppositio subcontraria est repugnantia duarum propositionum particularium secundum qualitatem tantum.

Oppositio subalterna est repugnantia duarum propositionum secundum quantitatem tantum ex quibus universalis dicitur subalternans, particularis vero subalternata.

Hae oppositiones in quibus propositionibus contingunt his versibus exprimuntur:

Contradic, vel A, C, O, v, E, m, I,

sed contradictoria m, A, m, E, v,

Subcontraria v, I, e, O,

sed v, A, m, I et n, E, m, O, subalterna.

In his versibus quatuor observandae sunt vocales distinctius expressae nempe: A, E, I, O. A significat propositionem universalem affirmativam, E propositionem universalem negativam, I particularem affirmativam, O particularem negativam. Et sic ista vox *vaco* significat propositionem universalem affirmativam et particularem negativam contradictorie opponi. Sic discure etiam de aliis. Hae ceterae his versibus comprehenduntur:

Asserit A, negat E, sed universaliter ambae

Asserit I, negat O, sed particulariter ambae.

Exemplaria harum omnium praedictarum oppositionum in sequenti figura clare videntur pro meliori tyronum intelligentia.

Exemplaria: Sequuntur in ordine harum viarum praedictarum figurarum oppositionum iuxta mentem subtilissimi doctoris nostri Duns Scoti pro maiori intelligentia ac meliori incipientium tyronum claritate.



Advertendum tamen est quod Aristoteles, I. *Priorum* sic oppositionem definit: Oppositio est affirmatio vel negatio eiusdem de eodem. Sed ut communiter notant dialectici, hic solum definit oppositionem rigorose sumptam, quae datur per oppositionem in qualitate, et sic non comprehendit oppositionem subalternam, quae non est proprie oppositio, cum tantum sumatur secundum quantitatem, sed iam etiam haec oppositio subalterna communiter inter oppositiones numeratur. Solent aliquae leges praedictis oppositionibus convenire.

Primo, contradictoriis hae leges applicantur:

Prima, quod una sit universalis et alia particularis, quia opponuntur in quantitate.

Secunda, quod una sit affirmativa et altera negativa, quia opponuntur in qualitate.

Tertia, quando una sit vera et altera falsa, quia secundum Aristotelem, IV. *Metaphysicorum,* cap. tertio: de quolibet est affirmatio vel negatio seu

quodlibet est vel non est; et cum in contradictoriis una propositio affirmet convenire subiecto quod altera negat, necessario debet una esse vera et altera falsa et numquam possunt esse simul verae et simul falsae.

Secundo, contradictoriis hae leges applicantur:

Prima quod utraque propositio sit universalis quia non opponuntur in quantitate.

Secunda, quod una sit affirmativa et altera negativa, quia opponuntur in qualitate.

Tertia, quod non possunt esse simul verae nec simul falsae in materia naturali vel remota, sed hoc provenit ratione materiae, ut contingit in hic propositionibus: Omnis homo est animal; nullus homo est animal – quarum prima necessario est vera et secunda necessario falsa; et in his: Omnis homo est lapis; nullus homo est lapis – quarum prima necessario est falsa et secunda necessario est vera. Ratione vero formae possunt esse simul falsae, nullatenus tamen simul verae, ut patet in his de materia contingenti: Omnis homo est albus; nullus homo est albus – quarum prima, si detur aliquis homo qui non sit albus est falsa, et secunda, si detur aliquis homo qui sit albus, etiam est falsa; nullatenus tamen praedictae propositiones possunt esse simul verae; nam ex opposito sequeretur quod daretur duplex contradictorium simul verum, quod est impossibile. Quod patet, quia si supradictae propositiones contrariae essent simul verae etiam subcontrariae essent simul verae, quia inferuntur ex contrariis et ex vero semper sequitur verum, et cum una ex subcontrariis, quae est subalterna unius contrariae sit contradictoria alterius contrariae, iam daretur duplex contradictorium simul verum, quod est impossibile.

Tertio, subcontrariis hae leges applicantur:

Prima, quod utraque sit particularis, quia non opponuntur in quantitate.

Secunda, quod una sit affirmativa et altera negativa, quia opponuntur in qualitate.

Tertia, quod una sit vera et altera falsa in materia naturali, et remota; sed hoc provenit ratione materiae, ut contingit in his propositionibus: Aliquis homo est animal; aliquis homo non est animal – quarum prima necessario est vera et secunda necessario falsa; et in his: Aliquis homo est lapis; aliquis homo non est lapis – quarum prima necessario est falsa et secunda est necessario vera; ratione autem formae possunt esse simul verae nullatenus tamen simul falsae, ut patet in his de materia contingenti: Aliquis homo est albus; aliquis homo non est albus – quae, ut patet, sunt simul verae, nullatenus tamen possunt esse simul falsae, quia daretur duplex contradictorium simul falsum, quod est impossibile. Patet hoc, quia si propositiones subcon-

trariae essent simul falsae, earum subalternantes etiam essent falsae; nam, ut universalis sit falsa, sufficit quod aliqua particularis sit falsa, et cum subalternantes opponantur contradictoriae subcontrariis, si istae sunt simul falsae, necessario dabitur duplex contradictorium simul falsum, quod est impossibile.

Quarto, subalternis hae leges applicandae sunt:

Prima, quod una sit universalis et altera particularis, quia opponuntur in quantitate.

Secunda, quod utraque sit affirmativa vel utraque negativa, quia non opponuntur in qualitate.

Tertia, quod si universalis est vera, etiam particularis debet esse vera, quia ex eo dicitur universalis vera, quia omnes partes sunt verae.

Quarta, quod si particularis est falsa, etiam universalis debet esse falsa, quia ad falsitatem universalis sufficit falsitas particularis alicuius.

Quinta, quod non possit particularis esse vera et universalis falsa, neque universalis falsa et particularis vera; sed hoc provenit ratione materiae, in materia naturali et remota, ut patet in his propositionibus: Omnis homo est animal; aliquis homo est animal – utraque enim necessario est vera; et in his: Omnis homo est lapis; aliquis homo est lapis – utraque enim est necessario falsa; et in his: Nullus homo est animal; aliquis homo non est animal – utraque enim est necessario falsa; et in his: Nullus homo est lapis; aliquis homo est lapis – utraque enim est necessario vera; ratione autem formae particularis est vera et universalis falsa, ut patet in his de materia contingenti: Omnis homo est albus; aliquis homo est albus – et similiter in his: Nullus homo est albus; aliquis homo non est albus. Idem dicendum est de quibuscumque aliis propositionibus oppositis quibus convenit lex alicuius oppositionis.

Quaestio IV: De aequipollentia simplicium propositionum

Dico: Bene describitur aequipollentia quod sit aequipollentia seu convenientia duarum propositionum oppositarum ratione alicuius negationis adiunctae; et cum plures sint oppositiones propositionum pro qualibet propositione aliquae et quae assignantur ut praedictae propositiones oppositae aequipollentes fiant. Igitur propositiones contradictoriae fiunt aequipollentes si praeponatur negatio alicui illarum v.g. si huic propositioni: Omnis homo est albus – praeponatur negatio non infinitanter sed negative sumpta, aequivalet huic: Aliquis homo non est albus – quae est contradictoria illius. Similiter si huic ultimae praeponatur negatio, aequivalet primae. Ratio est quia cum negatio negans destruat omnia quae invenit post se. Si propositio

est affirmativa non solum mutat signum universale in particulare, vel particulare in universale, sed etiam negat copulam et sic propositio redditur negativa vel universalis vel particularis, sicut eius contradictoria. Si autem propositio est negativa, negatio quae anteponitur, non solum mutat signum particulare in universale vel universale in particulare, sed etiam affirmat copula, quia duae negationes affirmat, et sic propositio redditur affirmativa et universalis vel particularis. Sic eius contradictoria. Propositiones contrariae fiunt aequipollentes si postponatur aliqua negatio subiecto alicuius v.g. si huius propositionis subiecto: Omnis homo est albus – postponatur negatio, aequivalet huic: Nullus homo est albus – et si subiecto huius postponatur negatio, aequivalet supradictae, quae est illius contraria. Ratio est quia ratione illius negationis affirmativa redditur negativa, et negativa redditur affirmativa, eo quod duplex negatio affirmat; et cum non praeponatur negatio signo utraque remanet universalis. Propositiones subalternae fiunt aequipollentes si negatio anteponatur et postponatur subiecto alicuius v.g. si huius propositionis subiecto: Omnis homo est albus – anteponatur et postponatur negatio, aequivalet huic: Aliquis homo est albus. Et si subiecto huius anteponatur et postponatur negatio aequivalet supradictae, quae est eius subalterna. Ratio est, quia cum duplex negatio affirmet; si subiecto cuiuslibet propositionis anteponatur et postponatur negatio, propositio affirmativa remanet affirrnativa et propositio negativa remanet negativa; et cum negatio praeponatur signo propositionis si est universale redditur particulare, et si est particulare redditur universale. Quod breviter hoc versiculo solet explici:

Prae, contradic, Postcontra, Prae,

Postquam, Subalter.

Prae, Contradic – denotat propositiones contradictorias fieri aequipollentes postposita negatione subiecto alicuius.

Postcontra, – denotat subalternas fieri aequipollentes anteposita vel postposita negatione subiecto alicuius.

Prae, postquam, subalter – denotat subalternas fieri aequipollentes anteposita et postposita negatione subiecto alicuius; quod totum patet in his carminibus:

Non omnis, quidam non; omnis, non, quasi nullus.

Non nullus, quidam: sed nullus non valet omnis.

Non aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis.

Non alter, neuter: neuter non, praestat uterque.

Universa quae dicta in hac quaestione inveniuntur in illis tribus primis versiculis, quia in illis declaratur aequipollentia signorum ratione negationis



antepositae vel praepositae, et si aliquid deficiat ad similitudinem aliorum deduci potest. Ultimus versiculus ponitur ad declarandam aequipollentiam propositionum appositarum quae constant his signis scilicet *alter,* quod est particulare affirmativum; *neuter*, quod est universale negativum; *neuter* et *uterque*, quod est universale affirmativum. Igitur hae propositiones contradictoriae: Neuter homo est albus; alter homo est albus – fiunt aequipollentes praeposita negatione subiecto alicuius; ista contraria uterque: Homo est albus; neuter homo est albus – fiunt aequipollentes postposita negatione subiecto alicuius; ista vero subalterna: Uterque homo est albus; alter homo est albus – fiunt aequipollentes anteposita et postposita negatione subiecto alicuius. Ex quibus facile cognoscitur omnes propositiones factas in qualibet voce seu in quolibet ex illis signis videlicet A, E, I, O, seu alter, neuter et



uterque, esse inter se aequipollentes et omnes factas *in purpurea*, esse contraria omnium quae fiunt in *illiace,* et contradictorias omnium quae fiunt in *etenduli,* et subalternas omnium quae fiunt in *amabimus.* Quare notare debes propositiones ex quatuor signis componi scilicet omnis universali affirmativo, nullus uniuniversali negativo, aliquis et quidam particularibus affirmativis, quae idem valent. Notare etiam debes supradictas quatuor voces quae sunt nempe: purpurea, amabimus, illiace, etentibus, inventas esse ad cognoscendam aequipollentiam et oppositionem propositionum modalium, quae etiam hic applicari possunt. Ex quo facile deducitur quomodo omnes aliae propositiones inter se opponuntur. Quod omne clare videtur in sequenti figura, et etiam aequipollentia et oppositio propositionum, quae fiunt in signis: *alter, neuter, uterque*, ablata una littera a supra dictis vocibus.

Si autem vis cognoscere quam oppositionem subeant inter se aliquae propositiones vel ansint aequipollentes, in sequenti tabula facile invenies hoc modo: vide unam ex illis propositionibus in prima linea et aliam in secunda, et numerus illis correspondens manifestabit qualitatem illarum v.g. si scire desideras cuius generis sint hae propositiones: Aliquis homo est albus; non omnis homo est albus – vide unam ex illis in prima linea et alteram in secunda vel econtra invenies numerum sextum illis correspondere et tibi demonstrabit talis numerus in tertia linea esse aequipollens. Et sic de caeteris etc.

Quaestio V: De conversione simplicium propositionum

Adverte ad conversionem non nisi duas requiri propositiones; quare una convertens et altera conversa dicitur. Convertens est illa quae refutabat et invertur ex mutatione extremorum; converta vero est illa cuius partes mutantur. Hoc notato

Dico: Conversio est mutatio praedicati in subiectum et subiecti in praedicatum servata eadem qualitate essentiali et accidentali.

Dixi servata eadem qualitate et non quantitate, quia quantitas saepius mutatur in conversione.

Dixi essentiali et accidentali, ut detur intelligi quod qualitas debeat servari eadem ita ut affirmativa in affirmativam, negativa in negativam, vera in veram convertatur.

Est autem triplex conversio scilicet: simplex, per accidens et per contrapositionem.

Simplex est ea in qua convertitur subiectum in praedicatum et econtra, manente eadem qualitate et quantitate. Sic convertitur universalis negativa et particularis affirmativa: Nullus homo est lapis; ergo: Nullus lapis est homo – et particularis affirmativa: Aliquis homo est animal; ergo: Aliquod animal est homo.

Conversio per accidens est illa in qua praeter mutationem extremorum mutatur etiam quantitas propositionis ita ut ex universali fiat particularis; sic convertuntur universalis affirmativa et universalis negativa v.g: Omnis homo est animal; ergo: Aliquod animal est homo – et universalis negativa: Nullus homo est lapis; ergo: Aliquis lapis non homo. Conversio per contrapositionem est illa quando servata quantitate et qualitate termini finiti per negationes fiunt infiniti. Hoc modo convertatur universalis affirmativa v.g: Omnis homo est animal; ergo: Omne non animal est non homo – et particularis negativa v.g: Aliquis homo non est lapis; ergo: Aliquod non lapis non est non homo. Haec conversio parum utilis, quia obscuriorem reddit propositionem. Ut autem facilius conversio propositionum memoriae commendetur, his versiculis, qui continent omnia supradicta, utuntur summulistae:

Simpliciter fEcI convertitur EvA per avi;

A et O per contra, sic fit conversio tota;

feci seu E et I id est universalis negativa et particularis affirmativa convertitur simpliciter

EvA seu E et A, id est universalis negativa et universalis affirmativa convertuntur per accidens; asto seu A et O id est universalis affirmativa et particularis negativa convertunt per contrapositionem.

Quaestio VI: De propositione modali et eius divisione

Generaliter loquendo sic solet definiri modus: Est adiacens rei determinatae. Et quia in propositione possunt determinari nomen seu terminus, verbum et tota propositio, idea modus est in triplici differentia. alter vide ternam significationem nominis seu termini

ut sunt nomina adiectiva et casus obliqui, ut in his propositionibus: Homo doctus disputat; filius Ioannis disputat – alter qui determinat significationem termini, et sunt adverbia iuxta sensum grammaticalem, ut in hac propositione: Petrus currit velociter; et alter qui determinat totam propositionem, ut sunt quatuor sequentes iuxta communem usum Dialecticae scilicet: possibile, contingens, impossibile, neccesse. Possibile et contingens pro eodem usurpantur, sed singillatim loquitur de illis. Propositio ergo modalis est quae efficitur modo determinante totam significationem propositionis categoricae. Et haec est quadruplex iuxta quadruplicem modum assignatum. Alia dicitur de possibile et alia de contingenti, alia de impossibile et alia de necesse. Ubi advertendum est quod propositio modalis constat modo et dicto, ut in hac propositione: Possibile est Petrum currere – in qua li possibile est modus, li Petrum currere est dictum.

Dividitur propositio modalis ratione qualitatis in affirmativam et negativam.

Affirmativa est quando praecipua copula, quae correspondet modo, non afficitur negatione; sive copula minus praecipua, quae correspondet dicto, afficiatur vel non afficiatur negatione; unde hae propositiones sunt affirmativae: Possibile est Petrum currere; Possibile est Petrum non currere.

Negativa est quando praecipua copula afficitur negatione; unde hae propositiones sunt negativae: Non est possibile Petrum currere; Non est possibile Petrum non currere. Divisio haec etiam potest dici ratione formae, quia praecipua copula est forma propositionis. Ex quo colligitur, in quolibet modo ex praedictis posse fieri quatuor propositiones: una, in qua neget modus et non dictum; altera, in qua negetur dictum et non modus; alia, in qua totum; alia, in qua nihil negatur; quas omnes proponemus hic claritatis gratia.



Propositio ratione qualitatis dividitur in veram et falsam.

Tunc dicitur propositio modalis vera quando praedicatum dicti convenit subiecto eo modo quo denotatur in propositione v.g. haec propositio est vera: Possibile est Petrum currere – quia cursus qui praedicatur in dicto possibiliter convenit Petro.

Tunc propositio dicitur falsa quando praedicatum dicti non convenit subiecto eodem modo quo denotatur in propositione v.g. haec propositio: Impossibile est Petrum currere – est falsa, quia cursus qui praedicatur in dicto non convenit Petrus impossibiliter.

Ubi adverte quod aliquae propositiones modales indigent distinctione, ut eius veritas cognoscatur, quia summi possunt in sensu composito et in sensu diviso v.g. haec propositio: Possibile est sedentem currere – hic accipiatur in sensu diviso, ita ut per illam denotatur sedentem posse currere relicta sessione, est vera. Si vero accipitur in composito ita ut illam denotetur sedentem posse coniungere cursum cum sessione, est falsa. Propositio modalis ratione materiae dividitur in necessariam et in possibilem. Necessaria est quando proponitur in dicto habet necessariam habitudinem cum modo sive materia dicti sit necessaria sive non. Unde istae propositiones sunt necessariae: Possibile Petrum currere – licet materia dicti contingens; impossibile est Petrum esse lapidem – licet materia dicti sit remota. Impossibile quando quid ponitur in dicto habet repugnantiam cum modo sive materia dicti sit remota sive non; unde istae propositiones sunt impossibiles. Impossibiles Petrum esse animal, licet materia dicti sit naturalis; Necesse est Petrum currere, licet materia dicti sit contingens.

Propositio modalis ratione quantitatis dividitur in universalem et particularem.

Universalis est quae constat modo universali ut: est necesse, qui est universalis affirmativus ac idem valet ac omnis in propositionibus absolutis, et impossibile, qui est universalis negationis ac idem valet ad nullus.

Particularis est quae constat modo particulari, ut est possibile, qui est particularis affirmativus et idem valet ac aliquis vel quidam. Idem dicendum est de modo contingens, et sicut quidam vel qui sunt signum particulare negativum postposita negatione similiter possibile et contingens fiunt modi particulares negativi postposita negatione; quod his vrersibus solet explicari:

Omnis necesse valet, impossibile nullus

Possibile quidam, quidam non possibile non.

Ubi notandum est quod sicut signa universalia omnis et nullus fiunt particularia anteposita negatione, et particularia quidam et aliquis fiunt eodem modo universalia, sic modi universales necesse et impossibile fiunt particulares, et modi particulares possibile et contingens fiunt universales anteposita negatione.

Quaestio VII: De aequipollentia et conversione propositionum modalium

Circa oppositionem propositionum modalium idem dicendum est, suo modo, quod diximus de oppositione propositionum simplicium. Itaque contradictoriae opponuntur in quantitate et qualitate et similiter subcontrariae, subalternae tantum in quantitate. Quod clare in sequenti figura reperies.



Propositiones modales oppositae fiunt aequipollentes eo modo quo propositiones simplices observando regulas illius versiculi: Prima contradictoria etc. Ut autem facilius cognoscas quae propositiones ex praedictis sint aequipollentes, revoca in memoriam quatuor voces quas proposuimus ad idem cognoscendum in propositionibus simplicibus scilicet: purpurea, amabimus, illiace, edentuli. Et sicut in qualibet littera vocalis illarum correspondebit signo propositionis sic in praesenti correspondet modo hoc ordine. Prima littera correspondet modo possibile, secunda modo contingens, tertia modo impossibile, quarta modo necessario. Praedictae litterae denotant affirmationem vel negationem modi et dicti, sicut ibi denotatam affirmationem vel negationem signi et copulae. Ad quod explicandum inventus est hic versiculus:

E, dictum nega I, quae modum,
Nihil A, sed O totum.

Ex quibus colligitur omnes propositiones modales factas in qualibet voce ex supra dictis esse inter se aequipollentes. Colligitur secundo, omnes propositiones factas in purpurea esse contradictorias illarum fiunt in illiace, et omnes quae fiunt in amabimus esse subalternas illarum quae fiunt in purpurea et omnes quae fiunt in edentuli esse subalternas illarum quae fiunt in illiace. Ratio est, quia propositiones quae fiunt in purpurea sunt aequipollentes huius: Necesse est Petrum currere, quae est universalis affirmativa; et omnes quae fiunt in illiace sunt aequipollentes huius: Impossibile est Petrum currere, quae est universalis negativa et omnes quae fiunt in amabimus sunt aequipollentes huius: Possibile est Petrum currere, quae est particularis affirmativa et omnes quae fiunt in edentuli sunt aequipollentes huius: Possibile est Petrum non currere, quae est particularis negativa, et eodem modo, quo praedictae propositiones opponuntur, opponuntur etiam illarum aequipollentes; quod omne, licet aliquo modo confusum videatur, tamen clare in sequenti figura videtur:



Pro sequenti figura vide notam factam ante istam similem de propositionibus simplicibus, quia eadem est ratio hic et ibi sane intellecta et percepta praesenti. Circa vero leges propositionum modalium vide leges simplicium propositionum, quia hic et ibi par est ratio. Propositiones modales non convertuntur ratione modi sed tantum ratione dicti, haecque ut simplices converti possunt, earum enim conversio antea debet penes dictum invariato modo. Unde sic convertitur ista universalis affirmativa: Omnem hominem esse animal est necesse; Aliquod animal esse hominem est necesse. Eodem modo potest exemplificari in qualibet propositione.

Quaestio VIII: De propositionibus exponibilibus

Exponibilis propositio dicitur illa quae propter suam obscuritatem indiget exponi seu explicari per aliam vel per alias propositiones eo quod plures in se involvere solet. Triplici differentia communiter solet inveniri propositio exponibilis, nam vel dicitur exclusiva vel exceptiva vel reduplicativa. Quae singillatim explicamus.

Propositio exponibilis dicitur exclusiva quando in illa ponitur aliqua particula exclusiva ut sunt solum, tantum. Possunt poni ex parte subiecti ut in hac propositione: Tantum homo est animal rationale – quae sic exponitur: Homo est animal rationale et nihil aliud praeter hominem est animal rationale. Et possunt poni ex parte praedicati ut in hac propositione: Homo essentialiter est tantum animal rationale – quae sic exponitur: Essentialiter convenit homini esse animal rationale et nihil aliud convenit illi essentialiter.

Propositio exponibilis exceptiva dicitur illa in qua ponitur particula praeter vel alia similis ut haec propositio: Omnia animalia sunt irrationalia praeter hominem – quae sic exponitur: Omne animal quod non est homo est irrationale – et hae duae propositiones exponibiles differunt propter particulam tantum et praeter.

Propositio exponibilis reduplicativa dicitur illa in qua ponitur aliqua ex illis particulis: quatenus vel in quantum et alia similis ut haec propositio: Homo in quantum rationalis est risibilis – quae sic exponitur: Rationalitas in homine est causa risibilitatis; et haec: Aetiops secundum dentes est albus; quae sic exponitur: Dentes Aethiopis sunt albi. Prima propositio est proprie reduplicativa, secunda vero inproprie et solet dici specificativa. Plura alia solent adduci circa propositiones exponibiles, quae magis ad confusionem quam ad utilitatem deserviant ideoque alia ommittimus, et quia usu argumentationis facilius intelliguntur.

Solum adverte pro modo loquendi quod sicut praedictae propositiones dicuntur exponibiles quia explicantur per alias, ita illae per quas explicantur, dicuntur exponentes. Et haec pauca pro multis sufficiant ad secundam mentis operationem.

Disputatio III: De argumentatione seu syllogismo

Quaestio I: Quid et quotuplex sit argumentatio?

Argumentatio quae est tertium et praecipuum instrumentum sciendi communiter sic solet definiri: Est oratio in qua ex una vel pluribus propositionibus infertur alia, ut v.g: Petrus est homo. Ergo Petrus est animal. Vel: Omne animal est substantia. Homo est animal. Ergo: homo est substantia.

Explicatur:

Dicitur oratio, per quod convenit cum aliis orationibus quae non sunt argumentationes. Dicitur: in qua ex una vel pluribus propositionibus, per quod differt ab aliis orationibus et etiam ab aliis instrumentis sciendi.

Dicitur: infertur alia, quia ad argumentationem necessario requiritur quod sit talis oratio in qua manifestetur unum sequi ex alio, quod non faciunt definitio et divisio.

Ex hac definitio colligitur primo tria necessario requiri ad argumentationem scilicet: antecedens, consequens et nota illationis.

Antecedens est illa propositio ex qua alia sequitur.

Consequens est illa propositio quae sequitur ex alia.

Nota illationis est illa particula quae denotat unum ex alio sequi.

Sit exemplum: Petrus est homo; ergo Petrus est animal. Prima propositio scilicet: Petrus est homo – dicitur antecedens. Secunda propositio: Petrus est animal – dicitur consequens. Illa vero particula *ergo* dicitur nota illationis, quia notificat secundam inferri ex prima. Et quia haec nota illationis est triplex scilicet: causalis, ut quia; conditionalis, ut si; et rationalis, ut ergo; ideo argumentatio in prima sui divisione est triplex scilicet: causalis, conditionalis et rationalis, iuxta dicta de propositione hypothetica; et licet propositio hypothetica est argumentatio materialiter sint idem tamen differunt diversas rationes formales, quia propositio hypothetica induit affirmationem vel negationem consequentis de antecedenti; ideoque dicitur vera vel falsa, quia veritas et falsitas sunt proprietates propositionis, ut iam dictum, argumentatio vero induit consequens inferri ex antecedenti et sic dicitur bona vel mala, non autem vera vel falsa. Colligitur secundo quod consequens et consequentia valde differunt; nam consequens est illa propositio quae sequitur ex antecedenti, consequentia vero est habitudo antecedentis ad consequens; unde cum optima consequentia stare potest falsitas consequentis; nam si dicatur: Homo est lapis, ergo est insensibilis. Consequens est falsum sed consequentia bona. Consequens dicitur verum vel falsum; et tunc est verum quando praedicatum convenit subiecto, tunc vero falsum quando praedicatum non convenit subiecto. Consequentia dicitur bona vel mala. Tunc est bona quando consequens recte infertur ex antecedentie, et tunc est mala quando non recte infertur.

Quaestio II: De speciebus argumentationis

Sex solent assignari species argumentationis, nempe: syllogismus, aenthimema, inductio, exemplum, gradatio et dilemma.

Syllogismus ex Aristotele, I. *Priorum,* cap. 3. definitur quod sit oratio in qua quibusdam positis aliud quid ab eis, quae posita sunt, necesse contingere eo quod haec sit.

Explicatur:

Dicitur 'oratio', quia licet in syllogismo sint plures propositiones quarum quaelibet est oratio, quia tamen omnes connectuntur inter se, unam tantum orationem constituunt.

Dicitur 'in qua quibusdam positis' id est positis duabus propositionibus.

Dicitur 'aliud quid ab eis' scilicet conclusio quae est distincta a praemissis uti causata ab ipsis.

Dicitur 'necesse est contingere', quia verba conclusio necessario sequitur ex praemissis verum; additur tandem: eo quaod haec sit id est eo quod propositiones sunt bene dispositae in modo et figura, ut v.g. Omnis homo est animal. Omne risibile homo. Ergo: Omne risibile est animal.

Aentimema est oratio qua ex una propositione infertur alia, ut: Petrus est homo. Ergo: Petrus est animal. Prima propositio dicitur antecedens et secunda consequens.

Inductio est oratio in qua ex particularibus sufficienter enumeratis infertur aliquid universale, ut v.g: Petrus currit; Paulus currit – et sic de aliis; ergo omnis homo currit.

Exemplum est argumentatio in qua unum particulare probatur per aliud propter aliquam similitudinem in utroque repartam, ut v.g: Petrus flendo obtinuit veniam – ergo et peccator si fleverit, obtinebit veniam.

Gradatio est argumentatio seu coacervatio plurium propositionum ubi a prima infertur ultima,ut v.g. si quis velit probare Petrum esse substantiam, sic argumentabitur: Petrus est homo. Homo est animal. Animal est vivens. Vivens est substatia. Ergo Petrus est substantia.

Dilemma est argumentatio biccornis seu complexa in qua duae partes ita disponuntur ut respondens nullo modo possit fugere, ut si volumus convincere insipientem qui multum temporis in studio consumpsit sic possumus conficere argumentum: Aut studuisti aut non. Si studuisti; ergo rudis et haebes es ingenio. Si non studuisti; ergo negligens fuisti et tempus in vanum consumpsisti. Inductio est duplex. Alia dicitur ascensus, quae est argumentatio a particularibus suficienter enumeratis ad universale, ut quando dicimus: Hic homo est rationalis; et: Hic homo est rationalis – et sic de caeteris omnibus; ergo, omnis homo est rationalis. Altera dicitur descensus, et argumentatio ab universali ad particularia sufficienter enumerata, ut quando dicimus: Omnis homo est rationalis; ergo, hic homo rationalis, et hic homo rationalis, et sic similiter de omnibus aliis.

Inter has igitur species argumentationis syllogismus est perfectior omnium et ad ipsum omnes aliae tanquam imperfectum ad perfectum reducuntur.

Aenthimema reducitur ad syllogismum per additionem praemissae quae deficit, ut: Omnis homo est animal; sed Petrus est homo; ergo Petrus est animal.

Inductio reducitur ad syllogismum accipiendo omnia singularia pro medio, ut: Omne quod est Petrus et Paulus, et sic de alliis, currit; sed omnis homo est Petrus et Paulus, et sic de caeteris; ergo omnis homo currit.

Exemplum reducitur ad syllogismum accipiendo terminum importantem similitudinem pro medio, predicatum conclusionis pro maiori extremitate, et subiectum pro minori, ut: Omnes lugentes, ut Magdalena, obtinebunt veniam; sed peccator luget ut Magdalena; ergo peccator obtinebit veniam ut Magdalena.

Gradatio reducitur syllogismum per additionem huius maioris: Quidquid praedicatur de superiori praedicatur etiam de inferiori; sed substantia praedicatur de homine; ergo valet dicere: Petrus est substantia,cum de ipso praedicetur homo.

Dillemma reducitur ad syllogismum per additionem maioris: Quod affert incommodum, non est appetendum; sed uxor, sive sit pulchra sive turpis, affert incommodum; ergo non est appetenda.

Quaestio III: De regulis bonae consequentiae ad syllogismum formandum

Multae a philosophis traduntur regulae bonae argumentationis, verum utiliores septem assignantur:

Prima: Ex antecedenti vero in bona consequentia semper sequitur consequens verum. Ex antecedenti necessario consequens neccessarium; ex possibili, possibile; quia veritas consequentis continetur in antecedenti a quo recte infertur, ut: Homo est animal; ergo homo est substantia.

Secunda vero: Ex antecedenti falso sequitur consequens falsum, ut: Homo est asinus; ergo est rugibilis; etiam verum, ut: Homo est asinus; ergo est animal;ex impossibile, impossibile ut: Petrus est leo;ergo est rugibilis; et etiam possibile: ergo currit; immo necessarium: ergo est animal; ex contingenti sequitur contingens, ut: Petus currit; ergo movetur; et etiam necessarium: ergo est animal.

Tertia: Posito antecedenti ponitur consequens, ut: Petrus est homo; ergo est animal – sed non econtra: est animal; ergo est homo; ablato consequenti auffertur antecedens, ut: non est animal; ergo non est homo; sed non econtra: non est homo; ergo non est animal.

Quarta: Quidquid sequitur ad consequens essentialiter sumptum et absolute supponens sequitur etiam ad antecedens, id est valet consequentia a primo ad ultimum, ut: Petrus est homo; homo est animal; animal est corpus etc; ergo Petrus est corpus.

Quinta: Quidquid repugnat consequenti essentialiter sumpto et absolute supponente, repugnat antecedenti; et ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, quia animali repugnat esse lapidem, etiam homini repugnat.

Sexta: Tunc valet argumentari ex suppositione impossibili quando suppositio impossibilis ita fit ut non sequantur duo contradictoria per locum intrinsecum, unde ex ista suppositione impossibili: Si Petrus non esset animal, esset homo – non valet argumentatio quia homo intrinsece et formaliter includit animal, et ex alia suppositione per locum intrinsecum sequitur utraque pars contradictionis scilicet: animal, et non animal – instantia enim in hoc usu seipsam destrueret. Valet tamen arguere a suppositione impossibili circapraedicta, quae non sunt de primo conceptu rei sed tantum essentialiter in secundo modo dicendi per se; unde valet ista argumentatio: si per impossibile homo non esset risibilis, esset homo quandoquidem circumscripta risibilitate et ponendo Petrum in esse hominis non ponuntur duo contradictoria per locum intrinsecum sed tantum alterum scilicet quod sit homo per locum intrinsecum et quod non sit homo per locum extrinsecum. Haec etim suppositio impossibilis debet admitti: Si per impossibile homo non esset animal et esset rationalis, adhuc distingueretur ab equo quia licet animalitas sit praedicatum essentiale hominis, quia tamen non est principium formale distinguendi hominem ab equo, etiam supposita carentia animalis, adhuc bene infertur per locum intrinsecum, quod homo non distingueretur ab equo.

Septima tandem regula est: Quod medius terminus debeat numquam ingredi conclusionem sub ratione medii, quia per se ipsum probaretur et sequeretur medium non differre a praemissis, quod est contra finem syllogismi; unde non valet si dicatur: Omnis homo est animal; sed homo est vivens; ergo homo est animal – ubi medius terminus qui est homo ingrediens conclusionem dicit connexionem duorum extremorum in maiori et tantum duorum extremorum scilicet animalis et viventis; quae regulae omnes sequentibus versibus explicantur:

Partibus ex puris sequitur nihil sive negatur
Si quae sint partes sequitur conclusio partialis
Si quae negata fuit, conclusio fit quoque negata
Lex generalis erit, medium concludere nescit.

Ex his ergo omnibus regulis colligitur quod ab inferiori ad superius valet consequentia affirmativa, ut: Est homo; ergo animal – non tamen negativa, ut: Non est homo; ergo, non est animal; a superiori autem ad inferius valet consequentia negativa, ut: Non est animal; ergo, non est homo – non tamen affirmativa, ut: Est animal; ergo, est homo – quod totum provenit ex maiori vel minori contrarietate terminorum.

Quaestio IV: De materia, forma, figuris et modis syllogismorum

Syllogismi materia duplex est scilicet remota et proxima.

Materia remota sunt ipsi termini ex quibus propositiones.

Proxima vero sunt ipsae propositiones, ex quibus constat syllogismus.

In quolibet autem syllogismo reperiuntur tres termini, qui nec plures nec pauciores esse possunt, quorum unus vocatur m(aior) extremitas; alter m(inor) extremitas; alter medium seu medius terminus.

Ex his tribus terminis fiunt duae propositiones quarum prior dicitur m(aior propositio), posterior dicitur m(inor propositio), et ex his duabus propositionibus infertur tertia, quae nuncupatur conslusio.

M(aior) extremitas est terminus sumptus in m(aiori) propositione cum medio.

M(inor) extremitas est terminus sumptus in m(inori) propositione cum medio.

Mediumque vero est terminus bis sumptus ante conclusionem, nec eam ingrediens, ut dictum est, ut: Omne animal est substantia; sed omnis homo est animal. Substantia in prima propositione est m(aior) extremitas; homo in secunda propositione dicitur m(inor) extremitas; animal vero dicitur medium, quia sumitur in m(aiore) et m(inore). Prima propositio dicitur maior quia priorem tenet locum, et secunda m(inor) quia posteriorem. Ex his duabus propositionibus tertia infertur quae constituitur ex m(aiore) ex m(inore) extremitate, ut: ergo omnis homo est substantia; quae dicitur conclusio, et haec est argumentis probata propositio.

Forma syllogismi nihil aliud est quam dispositio terminorum et propositionum in figura et modo.

Figura similiter est apta dispositio et collatio medii termini cum extremis secundum debitum subiectum et predicatum ad inferendam conclusionem; et haec triplex scilicet: prima, secunda, tertia.

Prima figura est illa in qua medium subiicitur in m(aiore) et praedicatum in m(inore).

Secunda figura est illa in qua medium praedicatum in utraque scilicet in m(aiore) et m(inore). Tertia figura est illa in qua medium subiicitur in m(aiore) et m(inore), iuxta hos versiculos:

Prima prius subdit medium, post praedicat ipsum

Altera bis dicit, tertia bis subiicit ipsum

Vel aliter:

Sub, prae, prima;

Secunda bis prae; tertia bis sub.

Modus est dispositio propositionum secundum quantitatem et qualitatem.

Quantitas propositionis est univeralitas vel particularitas eius.

Qualitas vero est affirmatio vel negatio illius modi quibus possunt construi syllogismi sunt novemdecim, qui omnes continetur in his quatuor versiculis:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Barallipton

Cellantes, Dabitis, Tapesmo, Frisesomorum

Caesare, Camestres, Festino, Barocco, Daraptim

Fellapton, Disamis, Datisi, Prochardo, Ferison.

Primo quatuor verba scilicet: Barbara, Celarent, Darii, Ferio denotant quatuor modos primae figurae directe concludentis. Istorum modorum novem pertinent ad primam figuram; quatuor immediate sequentes ad seecundam spectant; sex alii ultimi ad tertiam attinent. Quilibet modus in tres syllabas partitur, quibus tres propositiones correspondere debent, dispositve secundum quantitatem et qualitatem designatam per vocales in ipsis syllabis contentes, nempe in illa syllaba in qua reperitur A, propositio ei correspondens debet esse universalis affirmativa, E universalis negativa, I particularis affirmativa, O particularis negativa.

Exempla quatuor modorum directe concludentium in prima figura:





Praeter has tres figuras quartam admittunt multi et quidem rationabiliter etiam de mente ipsius Aristotelis est admittenda; nam ipse in regula antepraedicamentali: quando alterum de altero praedicatur ut de subiecto. quaecumque de eo quod praedicatur dicuntur omina de subiecto; traddidit modum arguendi in quarta figura nec ulus sanae mentis negabit hanc arguendi esse bonam e.g: Omnis homo est animal; sed omne animal est substantia; ergo omnis homo est substantia. Haec forma arguendi non habetur in relatis tribus figuris, quia hic diversimode disponitur medium: praedicatum enim in m(aiore) et m(inore); unde si diversa dispositio medii et figurarum distinctionum necesse superaddere est hanc quartam figuram ab aliis distinctam, cuius quatuor traduntur modi scilicet: Pamana, Camene, Dimari et Timeno. Exempla modorum quartae figurae, ut supra, omnes indirrecte concludunt.

Quaestio V: De principiis regulativis et de regulis omnium syllogismorum

Principium regulativum syllogismorum idem est ac regula a qua syllogismus accipit robur ad concludendum necessarium et duo assignantur:

Primum: quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; et: quod est idem cum tertio, cum quo alterum non est idem non possunt esse idem inter se. Pars huius principii valet pro regulandis syllogismis affirmativis; secunda vero pro negativis; quod sic clare declarari potest, si esset quaestio: utrum angelus sit incorporeus. Ut cognoscatur, num isti termini sint connexi, advertendum est, quae praedicata intrineca et quas proprietates habet angelus et reperto quod angelus sit substantia spiritualis videndum est, num spirituale habeat connexionem cum inconporeo, quod si reperiatur habere talem connexionem, tunc recte inferri potest, quod illi termini sint inter se connexi quia cum illo tertio sunt coniuncti; nam: si spirituale est incorporeum; angelus est spiritualis; ergo, est incorporeus. Si vero spirituale non reperiatur habere connexionem cum incorporeo tunc negative concludendum est: angelum non esse incorporeum, quia angelus est idem cum substantia spirituali, cum qua ut supponitur incorporeusnon est idem; et haec est regula secundae partis supradicti principii.

Secundum principium dici de omni et dici de nullo.

Per dici 'de omni' nihil aliud intelligitur quam sequens axioma: quidquid diciturde subiecto dicitur de omni contento sub illo subiecto, id est quidquid dicitur de subiecto dicitur de omni concreto sub ipso subiecto.

Dici vero 'de nullo' nihil aliud sonat quam hoc effatum: quidquid negatur universaliter de subiecto negatur etiam de quolibet contento sub illo. Lapis enim quia negatur de animali, negatur etiam de quolibet contento sub animali. His duobus principiis regulantur omnes syllogismi.

Regulae syllogismorum tam generales quam speciales traduntur plures a summulistis, verum quia non videntur multum utiles sed potius cruciant quam adiuvant tyronum animos, quamquam communiterafferantur a logicis praetermittendas iudicavi cum pro omni regula satis est non ignorare constructionem cuiuslibet syllogismi esse faciendam in modis et figuris assignatis ut bene concludat. Tamen pro complemento huius quaestionis sit

Regula pro prima figura: Sit minor affirmans, nec maior sit specialis.

Pro secunda: Una preat negans, nec maior sit specialis.

Pro tertia: Sit minor affirmans, conclusio sit specialis.

Prima regula denotat quod in quocumque syllogismo primae figurae directe concludente, ut bona sit consequentia, minor debeat esse affirmativa et maior universalis. Secundus versus denotat quod una ex praemissis debeat esse negativa, sive maior sive minor, et quod maior insuper debeat esse uni-

versalis. Tertius versus significat quod minor debeat semper esse affirmativa et conclusio partialis.

Quaestio VI: De reductione modorum imperfectorum ad perfectos

Notandum I: quod reductio syllogismi non sit aliud quam conversio syllogismi imperfecti in perfectum.

Syllogismus perfectus est ille qui nullius indiget ut appareat necessarius, et sic se extendit tantum ad quatuor modos primae figurae.

Imperfectus vero dicitur ille qui indiget aliqua evidentia ut appareat necessarius id est ut conclusio sequatur evidenter ex praemissis, et sic se extendit ad omnes alios modos cuiuslibet figurae, qui omnes deducuntur ad illos quatuor perfectos. Reductio tamen duplex est, ostensiva scilicet et per impossibile.

Ostensiva est quando syllogismus ostenditur bene concludere per reductionem illius ad aliquem ex perfectis convertendo vel transponendo propositiones.

Per impossibile est illa qua cogitur adversarius ex consequentia negativa, vel negative quod concesserat, vel concedere duo contradictoria essent simul vera concesserat quod est impossibile. Omnes modi reducuntur ostensive dempto Barocco et Pohardo qui tantum per impossibile possunt reduci.

Notatur II: ad primos quatuor modos caeteri modi reduci debent tali tamen ordine, ut qui incohant per litteraam B reducantur ad Barbara, qui per C ad Celarent, qui per D ad Darii, qui per F ad Ferio. Reductio ostensiva fit per tria instrumenta nempe per conversionem formalem, per conversionem per accidens et per transpositionem praemissarum. Reductio vero per impossibile tantum per oppositionem contradictoriam; et ut haec omnia dignoscantur conferendae sunt quatuor illae consonantes quae sunt in medio illarum vocum nempe S, P, M, C. Nam S significat propositionem per vocalem anteriorem esse convertendam simpliciter; P per accidens; M indicat praemissas esse transponendas ponendo maiorem loco minoris et vice versa; C per impossibile. Quae omnia his versiculis comprehenduntur:

S vult simpliciter verti
P vero per accidens
M vult transponi
C per impossibile duci.

Exemplum reductionis ostensivae in Fapesmo:

Fa – Omne animal est sensibile
Pes – Sed nullus lapis est animal
Mo – Ergo, aliquod sensibile non est lapis.

Hic syllogismus in Fapesmo reductus debet reduci ad Ferio quia incipit per F. Maior denotata per A debet converti per accidens ut hoc signat O immediate sequens. Minor denotata per E debet converti simpliciter ut designat I immediate sequens et maior debet mutari in minorem, et minor in maiorem, ut designat litteram M, posita in ultima syllaba et sic argumentum in Fapesmo quod est imperfectum reducitur ad Ferio quod perfecte et directe concludit, ut

Fe – Nullum animal est lapis

Ri – Sed aliquod sensibile est animal

Q – Ergo, aliquod sensibile non est lapis.

Notandum III: dici reductionem per impossibile esse qua aliquis proterve negando consequentiam cogitur vel negare quod concesserat vel concedere duo contradictoria esse simul vera ratione dispositionis syllogismi in modo perfecto; reducuntur autem omnes modi omnium trium figurarum per impossibile ubi pro qualibet praescribuntur certae regulae. Pro prima ergo duae assignantur: Maior fit minor fit contradictio maior, excipe Celantes in quo convertitur ordo hoc est: loco maioris prius concessae assumitur contradictoria conclusionis negativae, pro minori ponitur maior prioris syllogismi et pro conclusione infertur contradictoria vel saltem contraria maioris concessae ut v.g. ex prima figura:

Ba – Omne animal est corpus

RA – Sed omnis homo est animal

Lip – Ergo, aliquod corpus est homo.

Si tibi negatur consequentia, ponat maior pro minore et contradictoriam vel contrariam consequentiam pro maiore; sic necessario sequitur bona consequentia in aliquo modo perfecto. Sit ergo reductio dicti syllogismi mutatis mutandis in Celarent et sic negans consequentiam syllogismi imperfecti cogitur concedere duo contradictoria, ut videri potest in sequenti syllogismo:

Ce – Nullum corpus est homo

La – Sed omne animal est corpus

Rent – Ergo, nullum animal est corpus.

Dictum est: excipias Celantes, in quo resolvitur ordo, quia negata tibi consequentia debes assumere contradictoriam eius et ponere pro minore, et minorem pro maiore, et maiore conclusione infertur contradictoria maioris concessa; sic ergo proterve negans consequentiam cogitur concedere duo contradictoria.

Nota IV: Pro secunda figura hanc communiter assignari: Servat maior variatque secunda minor, hoc est: in syllogismo secundae figurae manet ea-

dem maior in utroque syllogismo; in minore vero sumitur contradictoria conclusionis et pro conclusione infertur contradictoria minor prioris syllogismi, quae minor iam erit prius concessa. Sic iste syllogismus in:

Ba – Omnis homo est rationalis

Ro – Sed aliquod non est rationale

Co – Ergo, aliquod non est homo.

Sic per impossibile reducitur ad syllogismum perfectum primae figurae, et quidem ad:

Ba – Omnis homo est rationalis

Ba – Sed omne animal est homo

Ra – Ergo, omne animal est rationale.

Pro tertia figura hanc esse regulam: Tertia variat maior servatque minor, hoc est: syllogismi pro tertia figura reducuntur per impossibile si pro maiore assumatur contradictoria conclusionis negata et minor manet ut ante; pro conclusione autem sumitur opposita consequentia; hinc iste syllogismus in:

Da – Omnis homo est animal

Rap – Sed omnis homo est rationalis

Ti – Ergo, omnis homo est animal.

Si negatur tibi consequentia, debes assumere contradictorium illius scilicet: Nullum animal est rationale – et ponere illud pro maiore servata minore syllogismi imperfecti efficiens syllogismum perfectum in:

Ce – Nullum animal est rationale

La – Sed omnis homo animal

Rent – Ergo nullus homo est rationalis

Notandum V: Ut autem sciatis ad quem modum quilibet syllogismus reduci debeat per impossibile non est observanda littera initialis, ut in reductione per ostensionem, sed notandae sunt quatuordictiones a dialecticis inventae scilicet: *Nesciebatis,Odiebam, Laetare, Romanis-* in quibus quatuor vocales considerandae scilicet: A, E, I, O – quae significant quatuor modos perfectos: A significat Barbara; E significat Celarent; I significat Darii; O Ferio; ad quos omnes modi imperfecte reducendi sunt per impossibile. In Nesciebatis reperiuntur quinque vocales quibus quinque modi indirecte concludentes primae figurae denotantur. In secunda dictione nempe Odiebam inveniuntur quatuor vocales quae significant quatuor modos sucundae figurae. In tertia scilicet Latare Romanis inveniuntur sex vocales quae sex modos tertiae figurae denominant, ut clarius videbitur in sequenti schema utriusque reductionis



Quaestio VII: De syllogismo demonstrativo et expositorio

Hucusque locuti sumus de syllogismo communi nunc autem aliqua restat notitia de syllogismo singulari, qui appellatur expositorius, et demonstrativo de quo Aristoteles, Libro primo *Posteriorum*, cap. 2: Est syllogismus constans propositionibus veris, accessoriis, mediatis, prioribus, notioribus causisque conclusionis.

Explicatur haec descriptio:

Dicitur primo 'syllogismus', per quod convenit cum syllogismo topico et sophistico. Dicitur 'constans propositionibus veris', per hoc enim differt a syllogismo sophistico.

Dicitur 'necessarius', per quod differt a syllogismo topico.

Aliae vero particulae designant certas conditiones quae requiruntur ad propriam demonstrationem.

Demonstratio definitur etiam ab eodem Aristotele, tanquam per causam finalem, loco citato, quod sit: syllogismus faciens scire.

Demonstratio duplex est scilicet a priori seu propter quid, alia a posteriori seu quia est. Demonstratio a priori est illa in qua effectus demonstratur per suam causam ut: Omne animal rationale est risibile; Omnis homo est animal rationale; Ergo, omnis homo est risibilis. Haec demonstratio est a priori quia demonstratur quod homo sit risibilis quia est animal rationale, quae est causa praecisa quare homini conveniat risibilitas.

Demonstratio a posteriori est illa in qua causa demonstratur per suum effectum ut: Omne risibile est animal rationale; Omnis homo est risibilis; Ergo, omnis homo est animal rationale. Haec demonstratio est a posteriori, quia risibilitas non est causa quare homo sit animal rationale, sed effectus ipsius rationalitatis; unde praemissae sunt tantum causa cognoscendi conclusionem; illa vero a priori et essendi et cognoscendi sunt causa.

Syllogismus vero expositorius est ille de quo Scotus loquitur in I., dist. 2., qu. 7. *Praedicamentalium;* I. *Priorum,* qu. 11: Est ille cuius medium est terminus singularis singulariter et univoce sumptus, qui in hoc differt ab aliis, quia ipse continet propositiones tantum singulares, alii vero unam saltem universalem.

Dicitur 'expositorius' qui taliter conclusionem exponit ob oculos ut ipsam negari non possit quam non inducat forma syllogistica.

Dicitur syllogismus expositorius potest confici ex qualibet ex triplici supradicta figura tam affirmative quam negative; in prima figura conficiuntur hi syllogismi: Leopoldus est imperator; Sed tu es Leopoldus; Ergo, tu es imperator. Ludovicus non est imperator; Sed tu es Ludovicus; Ergo, tu non es imperator. In secunda figura potest confici hic syllogismus negativus: Carolus non est victus in proelio; Sed imperator Turcarum est victus in prolio: Ergo, imperator Turcarum non est Carolus. Syllogismus affirmativusnequit confici in hac figura quia, ut dictum est in regulis syllogismorum, quod in illa aliqua praemissa debet esse negativa et consequenter conclusio. In tertia figura possunt fieri hi syllogismi: Carolus est catholicus; Sed Carolus est rex

Hispaniae; Ergo, rex Hispaniae est catholicus. Carolus noluit regnare; Sed Carolus est imperator; Ergo, imperator noluit regnare. Syllogismi expositorii non accipiunt robur ab illis principiis: dici de omni, et dici de nullo, quia haec sunt prima principia syllogismorum in communi, expositorii vero sunt de medio singulari; accipiunt tamen robur ab his principiis: quae eadem uni tertio, sunt eadem inter se; quod non debet intelligi de identitate praecise reali stricta sed de qualibet convenientia, ut patet in syllogismis supra positis; et quae repugnant uni tertio, repugnant inter se. Totalis notitia primi principii traditur communiter a theologis in materia de Trinitate, hic tamen sufficiat de hac quaestione discursus.

Quaestio VIII: De syllogismo topico deque locis topicis

Syllogismus topicus seu dialecticus est ille qui ex praemissis probabilibus concludit; propositio autem probabilis est illa quae omnibus vel pluribus vel maxime sapientibus videtur vera; ita Aristoteles, I. *Topicorum,* cap. 1. ut: Omnis mater diligit filium suum; Sed Helena est mater; Ergo, diligit filium. Hic est syllogismus topicus quia praemissae non sunt necessario verae, bene probabiles, quia matrem diligere filium suum apud omnes, vel saltem apud plures,videtur verum, licet necessarium non sit, quia tamen diversa media possunt adduci ad probationem eiusdem conclusionis topicae, ideo dialectici ingeniose notavere certa quaedam capita ex quibus desumi possunt media ad conclusionem probandam et talia capita vocantur loca topica; quae sunt vel intrinseca vel extrinseca vel media; quae omnia his tribus paragraphis absolventur.

Paragraphus I: De locis intrinsecis

Locus intinsecus est quando terminus inferens et terminus illatus de se invicem praedicantur convertibiliter, ut: Animal rationale currit; ergo, homo currit; et est duplex scilicet a substantia et a comitantibus substantiam.

Locus a substantia est quando terminus antecedentis et terminus consequentis convertantur ad invicem, ut: Homo currit; ergo, risibile currit. Hic locus subdividitur in locum a definitione ad definitum, a descriptione ad descriptum, ab interpretatione ad interpretatum.

Locus a definitione ad definitum continet quatuor argumenta et quatuor maximas affirmative et negative.

Primo, ponendo definitionem a parte subiecti affirmative, ut: Animal rationale currit; ergo, homo currit. Maxima: Quidquid praedicatur de definitione affirmative, praedicatur etiam definito.

Secundo, ponendo definitionem a parte praedicati affirmative, ut: Franciscus est animal rationale; ergo, est homo. Maxima: De quocumque praedicatur definitio, praedicatur etiam definitum.

Tertio, ponendo definitionem a parte subiecti negative, ut: Animal rationale non est asinus; ergo, homo non est asinus. Maxima: Quidquid removetur a definitione, removetur etiam a definito.

Quarto, ponendo definitionem a parte praedicati negative, ut: Lapis non est animal rationale; ergo, lapis non homo. Maxima: A quocumque removetur definitio, removetur etiam definitum.

Locus a definito ad definitionem continet pariter quatuor argumenta et quatuor maximas, sicut locus a definitione, cum hac tamen differentia: in loco definitionis ponatur definitum in antecedente et definitio in consequente.

Locus a descriptione ad descriptum continet tot argumenta et totidem maximas sicut locus a definitione ad definitum; cum hac sola differentia ut loco definitionis ponatur descriptio et loco definiti descriptum.

Locus ab interpretatione ad interpretatum similiter continet quatuor argumenta et quatuor maximas, ut supradicta.

Locus a commitantibus ab substantia quando terminus inferens et terminus illatus convertuntur ad invicem, ut v.g: Domus est; ergo, paries est; et dividitur: a loco ad totum, a parte, a causa, ab effectu, a generatione, a corruptione, ab usibus et a communiter accidentibus. Locus a toto dividitur sicut ipsum totum. Totum vero aliud est universale aliud integrale, aliud quantitativum, aliud locale, aliud temporale.

Totum universale est omne superius et eius partes sunt sua inferiora; a toto universali desumitur istud axioma: De quocumque negatur totum universale, negantur quoque eius partes, ut: Non est animal; ergo, non est animal neque homo neque equus. A parte subiectiva desumuntur istae duae maximae: Quidquid praedicatur de parte subiectiva, praedicatur etiam de toto universali, ut: Homo est vivens; ergo, animal est vivens. De quocumque praedicatur pars substantiva, de eodem praedicatur totum universale, ut: Petrus est homo; ergo, Petrus est animal.

Totum integrale est corpus integrale constans partibus quantitatem habentibus. A toto integrali desumitur haec maxima: Posito integrali ponitur etiam quaelibet eius pars, ut: Domus est; ergo, fundamentum. A parte vero integrali duae maximae desumuntur: Positis omnibus partibus integralibus unitis, ponitur totum integrale, ut: Positis fundamentis, parietibus, tecto unitis valet; ergo, domus est; remota parte integrali principali, removeatur totum, ut: Non est tectum; ergo, non est domus.

Totum in quantitate est terminus communis cum signo universali, ut: omnis homo; partes huius totius est terminus communis cum signo partiali, ut: aliquis homo. A toto in quantitate desumuntur hae duae maximae: Quid-

quid affirmatur de toto in quantitate, affirmatur de singulis eius partibus; vel: si universalis est vera, et qauelibet partialis est vera, ut: Omnis homo currit; ergo, et hic et ille homo currit. Quidquid removetur a toto in quantitate, removetur etiam a qualibet eius parte. Vel, si universalis est falsa, et quaelibet partialis erit falsa, ut: Nullus homo currit; ergo, Petrus non currit. A partialibus in quantitate habentur pariter duae maximae: Quidquid praedicatur de omnibus partibus simul sumptis, praedicatur etiam de toto in quantitate, ut: Petrus est albus, Paulus est albus, et sic de aliis; ergo, omnis homo est albus. Quidquid removetur a partibus simul sumptis in quantitate, etiam removetur a toto, ut: Petrus non est albus, Paulus non est albus, et sic de aliis; ergo, nullus homo est albus.

Totum locale est dictio comprehendens adverbialiter omnem locum, ut: ubique, nusquam; eius vero pars est dictio comprehendens adverbialiter aliquem locum, ut: hic, ibi. A toto in loco desumuntur duae maximae: Cuicumque competit totum in loco, competit etiam pars in loco, ut: Deus est ubique; ergo. et hic. A quocumque removetur totum in loco, ab eodem removetur etiam quaelibet eius pars, ut: Chimaera est nusquam; ergo, non est hic. A parte in toto habetur haec maxima: Cui non competit pars in loco, nec eius totum, ut: Non est hic; ergo, non est ubique.

Totum in tempore est dictio omne comprehendens adverbium, ut semper, numquam. Pars eius est dictio comprehendens adverbialiter aliquod tempus, ut: hodie, cras etc. tamen a toto in tempore quam eius ab eius parte hae formantur argumenta, uti a toto e tempore in loco. Locus a causa ad effectum quadruplex est iuxta numerum causarum, nempe efficiens, finalis, materialis et formalis a causa efficiente dissumuntur duae maximae: Si causa efficiens est bona, et eius effectus est vel erit bonus, ut: domi si calor est bonus, ergo domus est vel erit bona. Sio causa efficiens non est bona, nec eius effectus est vel erit bonus, ut: domi si calor non est bonus, ergo domus non erit bona. Ita aliae duae maximae efformari possunt ab effectu causae efficientis ponendo loco causae effectum. Locus a causa finali duas continet maximas: Cuius finis est bonus, ipsum quoque bonum est, ut: beatitudo est bona, ergo virtus bona est; cuius finis malus est, ipsum quoque malum, ut: damnatio est mala, ergo peccatum est malum. Similes efformantur de effectu.

Locus a causa materiali duas maximas continet: Posita causa materiali, eius effectus est possibilis, ut: triticum est; ergo, panis potest esse; remota causa materiali, removetur effectus, ut: non est ferrum; ergo, nec gladius; ita de suo effectu.

Locus a causa formali similiter continet duas maximas: Posita causa formali, ponitur eius effectus, ut: albedo est, ergo album est; remota causa formali, removetur eius effectus, ut: non est albedo; ergo, neque album; ita de suo effectu.

Locus a generatione et corruptione continet duas maximas: cuius generatio est bona, et genitum est vel erit bonum, ut: generatio hominis est bona, ergo homo est vel erit bonus; cuius generatio non est bona, et genitum non neque erit bonum, ut: generatio serpentis non est bona; ergo, serpens non est neque erit bonus. Similes efformantur de corruptione.

Locus ab usibus: usus vero pout hic sumitur est exercitium ad quod aliquid ordinatur, ut equitare etc. Continet duas maximas: Cuius usus est bonus, ipsum quoque usitatum est bonum, ut: equitare est bonum; ergo, equus est bonus; cuius usus non est bonus, usitatum non est bonum, ut: peccare non est bonum; ergo, neque peccatum; ita ab usitato.

Locus a communiter accidentibus continet duas maxima: Si communiter accidentium posterius inest, etiam prius infuit, ut: cedrus fructificavit; ergo, floruit; si communiter accidentium prius non est, nec posterius inerit, ut: cedrus non floruit; ergo, nec fructificabit.

Paragraphus II: De locis extrinsecis

Locus extrinsecus est quando sumitur argumentum ab his quae omnino separata sunt ab essentia terminorum in quaestione positorum, ut: Petrus est albus; ergo, non est niger. Dividitur per octo loca scilicet: ab oppositis, a repugnantibus seu disparatis, a maiore, a minore, a simili, a transumptione, a transmutata proportione et ab auctoritate.

Loca ab oppositis quatuor sunt, ut opposita ipsa. Ab oppositis relativis duae maximae deducuntur: Posito ut relativum, necessario ponitur et reliquum, ut: pater est, ergo filius est; posito uno privative oppositorum circa aliquod subiectum ab eodem necessario removetur aliquid, ut: aer est lucidus, ergo non est tenebrosus. A contrariis iste: Posito uno contrariorum in aliquo subiecto, removetur reliquum, ut: Petrus est albus, ergo non est niger; remoto uno contrariorum immediatorum ab aliquo subiecto, ponitur reliquum, ut: Petrus non est aeger, ergo est sanus. A contradictoriis hoc: Si alterum contradictorium est verum, reliquum necessario est falsum, ut: Martinum scribere est verum, ergo Martinum non scribere est falsum.

Locus a repugnantibus seu disparatis unam tantum continet maximam: Cuicumque convenit unum disparatorum, ab eodem necessario removetur reliquum, ut: Petrus est homo, ergo non est asinus. Disparata enim sunt illa, quae non praedicantur de se invicem vere et essentialiter, ut homo, et asinus, et similia.

Locus a maiore et a minore continet duas maximas: Si id quod magis videtur inesse non inest, nec id quod magis videtur inesse inerit, ut: rex non potest debellare castrum, ergo nec miles; si id, quod minus videtur inesse,

inest, etiam id, quod magis videtur inesse, inerit, ut: pigmaeus potest portare decem pondera, ergo et gigas.

Locus a simili hanc unicam continet maximam: De similibus idem est iudicium, ut: sicut se habet risibile ad hominem, ita mugibile ad bovem; sed risibile inest homini ut proprium, ergo et mugibile inest bovi ut proprium.

Locus a separatione reducitur ad similem, et similem continet maximam et argumenta.

Locus a transmutata proportione continet unam maximam: Qualis est comparatio primi ad secundum et tertii ad quartum, et talis est comparatio primi ad tertium et secundi ad quartum, ut: sicut se habet sexdecim ad octo, ita quatuor ad duo; et permutatim: sicut se habet sexdecim ad quatuor, ita octo ad duo; sed sexdecim et quatuor est proportio quadrupla, ergo et octo ad duo. Vel: sicut se habet animal risibile ad hominem, ita animal rugibile ad leonem; et permutatim: sicut se habet animal risibile ad animal rugibile, ita homo ad leonem; sed nullum animal risibile est animal rugibile, ergo nullus leo est homo.

Locus a transumptione seu metaphora non distinguitur a loco ab interpretatione, ideo etc.

Locus ab auctoritate unam tenet maximam et tantum tenet affirmative: Unicuique experto in sua scientia credendum est, ut: Aristoteles dixit decem esse praedicamenta, ergo praedicamenta sunt decem.

Paragraphus III: De locis mediis

Locus medius est quo sumitur argumentum ab his, quae partim conveniunt et partim differunt a terminis in quaestione positis, ut album et albedo, quae conveniunt in principio dictionis et differunt in fine. Hic autem locus dividitur per locum a coniugatis, a casibus et a divisione. Coniugata sunt concretum et abstractum, ut iustum et iustitia. Casus sunt nomen, adiectivum et adverbium abstractum ab ipso, ut iustare et iuste. Divisio sunt membra unius dividentia, ut rationale et irrationale quae dividunt animal.

Locus a coniugatis continet duas maximas: Quidquid praedicatur de uno coniugatorum essentialiter, praedicatur etiam de reliquo, ut: iustum est bonum, ergo quod iustitia est bona; quidquid removetur essentialiter ab uno coniugatorum, removetur etiam ab alio, ut: album non est dulce, ergo albedo non est dulcis.

Locus a casibus continet duas maximas: Quod uni casuum convenit, idem convenit et alteri, ut: iustum est bonum, ergo quid iuste fit, bene fit; quidquid removetur ab uno casuum, removetur etiam a reliquo, ut: peccatum non est bonum, ergo quod peccatum inoxe fit, male fit.

Locus tandem a divisione continet hanc maximam: Posito alterum membrorum dividentium in aliquo subiecto, ab eodem removetur reliquum, ut alimalium aliud rationale et aliud irrationale; sed homo non animal rationale, ergo est animal rationale.

Quaestio VIIII(!): De syllogismo sophistico seu fallaci aut falsigrapho et fallaciis

Pro complemento horum institutionum logicalium remanet ut de syllogismo litigioso seu sophistico agamus, non quidem ut possimus deinde disputando aliquem fallere, indignum enim est hoc scientifico viro, sed ut sciamus insidia et sophistarum captiones evitare; cuius notitiae tanta est utilitas ut noster Iohannes, in IV pag. partis tertiae *Logicalium* cap. primo asseruit neminem qualemcumque scientiam perfecte acquirere posse sine notitia fallaciarum, immo necessaria ista ignorans, in multos prolabitur errores; nequit enim vitari malum si non cognoscatur. Syllogismus itaque sophisticus est argumentatio constans propositionibus sed tantum apparentis veritatem. Sub hoc syllogismo continentur omnes fallaciae, quae sunt in duplici differentia; alia nuncupantur in dictione seu in verbis et alia extra dictionem seu in rebus.

Fallacia in dictione sunt sex, scilicet aequvocationis, amphipologia, compositionis divisionis, quatenus, acctentus et figurae dictionis.

Fallacia aequivocationis est deceptio quae oritur ex positione alicuius termini aequivoci in syllogismo, ut: Omnis canis latrat; sed sidus soeleste est canis; ergo sidus coeleste latrat.

Aequivocatio est in illa voce canis quae in maiore significat animal latrabile, in minore vero constellacionem.

Fallacia amphipologia est deceptio parta ex multiplici sensu orationis posita in syllogismo, ut: Omnes episcopi sunt sacerdotes; sed isti libri sunt episcopi; ergo isti libri sunt sacerdotes. Haec conclusio est falsa propter diversum sensum praemissarum; maior enim designat personam et minor bona ipsius personae.

Fallacia compositionis est apparentia orta ex falso sensu compositonis dum arguitur a sensu vero diviso ad sensum compositum falsum, ut: Impossibile est dormientem vigilare; sed Petrus est dormiens; ergo imposibile est Petrum vigilare. Conclusio est falsa, quia arguitur a sensu composito ad sensum divisum.

Fallacia divisionis est deceptio orta ex separatione eorum quae debent coniungi, ut: Quaecumque sunt duo vel tria, sunt quinque; sed Petrus et Franciscus sunt duo; ergo sunt quinque. Conclusio est falsa, quia duo et tria in minore separant quae debent coniungi ut faciant quinque.

Fallacia accentus est deceptio proveniens ex aliqua dictione diversimode deplorata vel cripta, ut: Quidquid hamatur is hamo capitur; sed homo amatur; ergo homo hamo capitur. Conclusio est falsa, quia hamatur in maiore sumitur cum aspiratione h, in minore vero sine, et sic habetur diversum sensum.

Fallacia figurae dictionis est apparentia orta ex similitudine accidentali unius dictionis cum alia, ut: Qualiscumquae est musa, talis est poeta; sed musa est feminini generis; ergo est poeta. Conclusio est falsa, quia non licet inferre ex eo quod haec dictio poeta desinit in a, ut musa importatum per dictionem habeat similes proprietates quae a natura et a voce fluunt.

Fallacia axtra dictionem quae scilicet non sumit causam apparentiae in dictione seu verbis, sed in significata, dividitur in septem species; nempe in fallaciam accidentis, secundum quid ad simpliciter, ignorantia ellenchi, petitionis principii, cognitis; a non causa in causam; et plurium interogationum.

Fallacia accidentis est apparentia orta ex convenientia aliquorum in aliquo una ratione ob quam conventia arguitur id quod convenit uni rei convenire etiam alteri, vel econtra, ut: Homo est animal; sed aliquid animal est genus; ergo homo est genus. Falsa est conclusio quia per hoc quod homo convenit primo intentionaliter cum animali non valet inferre quod etiam illa predicata, quae secundo intentionaliter dicuntur de animali predicantur etiam de homine.

Fallacia ad secundum quid ad simpliciter committitur quoties illud quod convenit alicui cum addito, tribuitur ipsis simpliciter et sine addito, ut: Id quod habet albedinem est album; sed Aethiops habet albedinem secundum dentes; ergo est albus. Non valet consequentia quia album in minore sumitur secundum quid,et cum adito, in conclusione vero simpliciter et sine adito.

Fallacia ignorantia ellenchi est deceptio orta ex apparentia propositionum conrtadictoriarum quae vere contradictoriae non sunt ex defectu conditionum, quae ed veram contradictionem requiruntur, quae quatuor, scilicet: ad idem, secundum idem, similiter, et in eodem tempore. Unde quadrupliciter haec fallacia eformari potest, iuxta quatuor particulas, ut Petrus filius Antonii et non est filius Ionnis; ergo est filius et non filius.

Contradictio non tenet quia respectu diversorum; deinde Aethiops est albus secundum dentes, non est albus secundum faciem; ergo est albus, et non est albus.

Contradictio non habetur quia non secundum idem. Praeterea homo est species, et nullus homo est species; ergo est species et non est species.

Contradictio non valet quia est alia, et alia suppusitio tandem Petrus dormit per noctem et non dormit per diem, ergo dormit et non dormit.

Contradictio non tenet, quia supponit pro alio, et alio tempore.

Ellenchus vero est argumentatio qua recte infertur contradictorium propositionis a respondente negante vel concensa, ut: Petrus hora prima studet, hora secunda non studet; ergo studet, et non studet.

Fallacia petitionis principii committitur quando idem per se ipsum probatur, et hoc vel isdem vel synonimis verbis, ut: Petrus curit, ergo Petrus curit; vel: gladius laedit, ergo ensis laedit. Vel qui ad probandum coelum esse rotundum assumeret coelum esse quinquevericum.

Fallacia consequentis committitur quando alteranter regulae bonae consequentiae, ut: Petrus est animal; ergo est homo; consequentia non sequitur huic formae, quia a superiore ad inferius affirmative non tenet etc.

Fallacia a non causa, ut causa est deceptio proveniens ex apparentia quam habet una propositio ad inferendam aliam, ac si esset vera causa ipsius, cum revera non sit, ut: Vinum inebriat; ergo vinum est ebrium; vinum enim est causa ebrietatis in alio, non in se ipso.

Fallacia denique plurium interrogationum, ut unius, est cum ad plures petitiones petitur eadem responsio, ut: quispetat musa et nauta suntne masculini generis? Si affirmative respondetur, musa erit masculini generis; si vero negative, nauta erit femminini generis vel neutri.

Fallaciae traduntur non ad falsitatem induncendam in animos audientium; qui enim sophistice loquitur odibilis est Deo – inquit sapiens; sed eu doceatur modus distinguendi paritatem a parente a, reali et quilibet posit flores catholicos a spinis hereticorum vindicare.

Appendix:

Continens exempla fallatiarum quibus neophilosophi frequentius capiuntur.

Exemplum primum: Quidquid non desisti facere, adhuc facis; sed furari non desisti; ergo adhuc furaris. Respondeo: distinguo maiorem. Quidquid non desii facere, et prius feci adhuc facio, concedo maiorem; si numquam feci adhuc facio, nego maiorem; ita minoris nego consequentiam. Ratio est, quia li desisti in una praemissa significat cessationem et finem rei cessatae, in altera vero significat carentiam actionem simpliciter, quia sunt quatuor termini, ac proinde male concluditur.

Secundum: Quidquid volat habet alas; sed lapis eiectus volat; ergo lapis habet alas. Respondeo distiguendo maiorem: quidquid volat proprie et naturaliter habet alas, concedo maiorem; quidquid volat metaphorice et violenter habet alas, nego maiorem; ita minoris nego consequentiam. Doctrina patet ex se speculanti.

Tertium: Haec capra est mater; sed haec capra est tua; ergo haec capra est tua mater. Respondeo: Falsa est conclusio, quia variatur sensus, et medius terminus ingreditur conclusionem ut subiectum: in maiori enim capra sumitur pro matre, et in minori pro re a te possessa; et hic negatur consequentia.

Quarto: Duo et tria sunt numerus, scilicet par et inpar; sed quinque sunt duo et tria; ergo quinquie sunt par et inpar. Respondeo distinguendo maiorem: duo et tria divisim sumpta sunt par et inpar, concedo maiorem; coniunctim et composite accepta nego maiorem; ita minoris nego consequentiam. Sed doctrina patet.

Quinto: Petrus habet simul potentiam standi et ambulandi; sed stare et ambulare est impossibile; ergo Petrus habet potentiam ad impossibile. Respondeo distiguendo maiorem: Petrus habet etc simultate potentiam, hoc est in sensu disiunctivo, concedo maiorem; potentia simultatis, hoc est in sesnu composito, nego maiorem; ita minoris nego consequentiam. Sciendum est igitur quod alia sit potentia simultatis et alia simultas potentiae. Simultas potentiae est illa quae datur ex parte potentiae ad plura, quamvis illa non posint simul esse; sic in me est potentia loquendi, standi, et sedendi, et sic falsum est quod potentia ad duo opposita potens est coniunctim v. g. loqui et tacere, bene vero divisim, videlicet unum post aliud. Potentia simultatis est illa quando etiam ipsa plura ex parte sua simul esse possunt: sic in me est potentia simultatis ad loquendum, cogitandum, ambulandum, quia actus possunt esse simul.

Sexto: Quidquid non amisisti, illud habes; sed cornua sed amisisti; ergo cornua habes. Respondeo distiguendo maiorem: quidquid non amisi et aliquando habui, illud habeo, concedo maiorem; quidquid non amisi nec unquam habui, illud habeo, nego maiorem; similiter distincta minore, nego consequentiam. Li quidquid in maiore accipitur sensum eo modo, consequens autem infertur ex suppositione absoluta.

Septimo: Quidquid emisti, commedisti; sed vinum, leporem et pullum cum plumis emisti; ergo vinum, leporem et pullum cum plumis comedisti. Respondeo distiguendo maiorem: Quidquid emi et fuit commestibile quoad substantiam et illud commedi concedo maiorem; quidquid emi absolute et sane non commestibile idem quoad accidentiam; casu quo ossa emissem, leporem, vinum et pullum cum plumis commedi, concedo maiorem; idem minoris nego consequentiam. Quod heri fuisti, hodie id es; sed heri fuisti ebrius philosophus; ergo hodie es ebrius. Item, quid ego sum, tu non es; sed ego sum homo; ergo tu non es. Respondeo negando consequentiam, quia li quid prius significat substantiam, ac deinde modum et accidentia, adeoque mutatur etc.

Octavo: Qui te dicit esse animal, verum dicit; sed qui te dicit esse hircum, dicit te esse animal; ergo qui te dicit esse hircum verum dicit. Respondeo distiguendo maiorem: Qui me dicit esse animal rationale, verum dicit, concedo maiorem; animal quodcumque etiam irrationale, nego maiorem, li animal prius accipitur complexive ac deinde restricte, scilicet ad speciem hircinam, ideoque mutatur proprietas terminorum. Primo: homo est species; Petrus est homo; ergo Petrus est species. Respondeo negando consequentiam quia mutatur suppositio, nam in maiore li homo accipitur abstracte et in minore contracte, vel distinguo minorem; sed Petrus est homo contracte, concedo minorem, apstracte, nego minorem et consequentiam: quia ab universali ad particulare non tenet consequentia affirmativa. Triplex denique modus praecipue consignatur secunda ad fallacias:

Primus, ut negetur consequentia, deinde ostendatur vitium, et fallacia syllogismi.

Secundus, si fieri potest, distinguatur propositio in qua latet fallatia.

Tertius, ut ars arte aludatur, est sophismi sophisma cum simile ponatur.

Quaestio X: De inventione medii

Ad argumentum inveniendi medium, methodum tradit Aristoteles, quae a dialecticisvocari solet pons asinorum, quia sicut pons attingit utramque partem ripae ita medium coniungit utrumque extremum propositionis. Quae probanda est: Et dicitur asinorum, quia traditur haec methodus pro imbecillioribus ingeniis quae indigent arte ad excogitanda media, ei sine illa haerent multa, sicut asini ad ripas fluviorum moti; propositiones igitur aliquas probaturus perpende:

Primo, quid sit id de quo agitur.

Secundo, perpende ac perscrutare illius definitionem, propritates, convenientia, repugnantia, causas, effectus.

Tertio, distingue: essentialia, propria, vera, probabilia, accidentia.

Quarto, ex his elige antecedentia et consequentia. Antecedens vocatur id, de quo aliud dicitur; consequens vero id, quod de alio dicitur: sic animal dicitur antecedens ad vivens, et consequens ad hominem; nam dicimus: animal est vivens, et: homo est animal; et sic omnia superiora seu univesaliora sunt consequentia respectu inferiorum seu minus universalium, quae dicuntur antecedentia, quia ex his inferuntur superiora; v.g. dicimus: est homo; ergo est animal – non vero: est animal; ergo est homo.

Adverte etiam repugnantia. Repugnans autem dicitur illud, quod alteri non potest inesse. His positis si concludere velis affirmative, quaeres medium quod sit utrique extremo seu subiecto et praedicato commune et illud

si possit esse consequens ad subiectum et antecedens ad praedicatum, erit optimum pro syllogismo in prima figura.

Si vero sit antecedens ad utrumque, inserviet pro tertia figura.

Si vero concludere velis negative, quaeres medium quod sit consequens ad unum extremorum et repugnans alteri et tunc formatis syllogismos universales vel singulares in diversis figuris, prout natura medii exiget diversum ordinem praemissarum, v.g. si medium sit repugnans praedicato et antecedens ad subiectum, argumenta fiunt in prohardo, fellapton, ferison. En exempla:

Si vis concludere quod omnis homo sit substantia, sume pro medio animal, quod est consequens ad hominem et antecedens ad subiectum, et sic conficias argumentum in barbara, dicens: omne animal est substantia; sed omnis homo animal; ergo omnis homo est substantia.

Si vis probare quod nullus homo sit lapis, sume pro medio, id est animal quod repugnat lapidi et consequens est homini seu subiecto, et conficies syllogismum in celarent, sic: nullum animal est lapis; sed omnis homo est animal; ergo nullus homo est lapis.

Si vis probare quod aliquis homo est vivens, sume medium quod sit consequens ad subiectum et antecedens ad praedicatum, v.g. sensibile, et conficies syllogismum in Darii hoc modo: Omne sensibile est vivens; sed aliquis homo est sensibilis; ergo aliquis homo est vivens – et sic de caeteris. Quod ut facilius et perfectius praestes, accipe has regulas ab eodem Philosopho:

Prima regula est, ut non disputes de iis quae minus nota sint omnibus aut quae sint evidentissime falsa, unde dicebat quod qui ambigunt utrum opporteat Deum collere et parentes diligere necne, poena, qui vero sit ne alba nix aut non, sensu indigent.

Secunda regula est, ut videtur omnis aequivocatio vel synonyma, quae multa voce una significantur; hic enim oritur magna scienciis ambiguitas.

Tertia regula est, quod seligi debent propositiones praedicatabiles et a multis receptae et singularum artium propriae et generales, omni exceptione maiores.

Quarta, in loquendo utendum terminis usitatis, claris et propriis, non singularibus et peregrinis, quia a paucis capiuntur. Sciendum vero de rebus cum doctis et sapientibus.

Quinta, inter disputandum vitanda semper diggressio, et, si falsum vel ineptum quid, aut non pertinens ad rem proponatur, respondendum: transeat – et interim negetur conclusio.

Sexta, conclusio debet colligi nude et simpliciter tanquam necessario consequens, et non per interrogationem vel aliter. Caetera repetenda sunt ex dictis De locis topicis.

Quaestio XI: De quibusdam terminis saepissime in philosophia usitatis

Quoniam inter disputandum quidam termini saepius usurpantur quorum notitia falem praefert in mediis difficultatum tenebris, aliquos hac quaestione complectari, quod subinde quisque consulere poterit.

1. in actu primo et sucundo. In actu primo dicitur de potentia activa, quando res aliqua dicitur habere vim aliquid producendi, quam nondum producit, v.g. priusquam loquor, sum in actu primo loquendi. In actu secundo dicitur, quando agens de facto producit illud, ut dum actu loquor, sum in actu secundo loquendi.

2. Idem ferme significant aptitudinaliter et actualiter. Aliquid dicitur tale aptitudinaliter, quando habet aptitudinem ad illud faciendum, ad recipiendum, quod adhuc non facit vel recipit; actualiter vero, quando de facto habet. Sic lignum dicitur callidum aptitudinaliter antequam callefiat; actualiter vero, quando de facto recipit aut habet callorem.

3. Eodem recidunt in actu signato et actu exercito. Primum dicitur de causa, quae habet omnia ad agendum requisita, nondum tamen agit, sed parata ad agendum; secundo vero, quando de facto agit.

4. Eodem non reciduntin actu et potentia. Res dicitur esse in potentia, quamdiu continetur intra suas causas, potest tamen ab illis produci, ut flos in hyeme; in actu, quando habet realem existentiam extra suas causas, ut flos in vere, pomum in aestate.

5. Prius natura, tempore et origine. Si termini magnas explicandi difficultates, et inter ea, quae licet simul tempore existant, unum tamen intelligitur prius alio propter causalitatem quam habet in aliud. Sic sol dicitur prior lumini, et omnis causa realis est sic prior suo effectu. Prioritas temporis est inter ea, quorum unum antecedit aliud duratione. Sic hora prima antecedit secundam. Prioritas originis dicitur inter ea, quorum unum est origo seu principium alterius, quod ab eo procedit aut producitur sine ulla dependentia, sicut fluvius a suo fonte. Sed maxime hoc dicitur in divinis ubi Deus Pater non dicitur prior Filio nisi origine et in quantum Filius generatur a Patre sine ulla dependentia.

6. His additur prioritas ordinis, quae duplex est: prima dicitur ratione numeri, et sic minorius est prior denario; secunda dicitur dignitatis, qua unum praecedit aliud gradu et nobilitate. Sic ordo ecclesiasticus prior est laico scilicet dignitate. Prioritas denique rationis ea est quae finitur ab intellectu in res quae de se sint omnino expertes cuiuscumque prioritatis verae ac realis, ut si dicas immutabilitatemin Deo priorem esse aeternitate, quia illam prius concipis.

7. Materialiter et formaliter saepissime occurunt. Ex dictis terminis formali et materiali facile inteliguntur, quia tamen maximi sunt momenti, iterum explico. Aliquid dicitur tale materialiter, quia illa denominatio illi competit ratione materiae seu subiecti, ut album est dulce, et dulcedo enim non convenit albo ratione albedinis, quae est eius formale significatum, sed ratione subiecti v. g. lactis formaliter dicitur, quando predicatum convenit subiecto ratione formae, ut album disgregat visum formaliter, id est ratione albedinis, a qua habet hunc efectum. Sic quedam dicuntur identificata aut distincta materialiter, quia habent idem vel distinctum subiectum, et distincta formaliter quia habent distinctas formas, ut equus et bos; vel unum formaliter, quia eandem habent formam ut Petrus et Paulus qui habent eandem humanitatem.

8. Reduplicative idem significat quod formaliter, et specificative seu identice quod materialiter. Reduplicative significat praedicatum convenire subiecto ratione formae ut: animal est sensitivum reduplicative: ut animal, id est ratione animalitatis. Si vero dicas: musicus est philosophus, id verum est specificative quia philisophia non enunciatur de musico ratione musices, sed ratione subiecti, et musicus et philosophus sit unum idem specificative, non fornaliter, quia musica et philosophia sint duae formae in eodem subiecto.

9. Formaliter et efficienter dicuntur ratione alicuius efficientiae et causalitatis. Sic albedo facit parietem album, quia id prestat per suimet comunicationem et inexistentiam in pariete. Sic calor pellit formaliter frigus, scilicet per suam entitatem. Efficienter vero dicitur, cum aliqua res denominat vel efficit aliud tale non per sui communicationem et inexistentiam in subiecto, sed per suam virtutem et actionem, qua producit in eo talem formam seu effectum. Sic manus mea dicitur calida ab igne efficienter et formaliter a calore, qui in ea est.

10. Virtualiter, formaliter et emminenter. Isti termini significant continentiam effectuum in suis causis. Effectus continetur formaliter in sua causa, quando in ea est secundum suam entitatem, et vel forma illi inhaerens, ut calor in igne, humiditas in aqua. Virtualiter vero, quando non est in sua causa secundum suam actualem entitatem, sed tamen in virtute illius productive, ut calor in pipere et vino, planta in grano et semine. Eminenter denique dicitur effectus contineri in causa aequivoca et nobiliori, quia continetur in eius virtute sine ullis imperfectionibus, quas in se habet vel quibus est obnoxius. Sic creatae continentur in Deo eminenter, quia eas potest producere, et habet eas in sua virtute et omnipotentia sine ulla ex imperfectionibus, quibus obnoxia sunt. Sic calor est in sole etc.

11. Aliquando a philosophis istae voces formaliter formalissime, formaliter implicite et explicite. Primum dicitur quando praedicatum est formali-

ter ratio constitutiva et distinctiva subiecti, ut homo est formaliter formalissime rationalis. Secundum quando predicatum est quidem essentiale subiecto, non tamen exprimitur in eius definitione. Sic homo est formaliter implicite creatura, lux est bis calefacta formaliter implicite. Tertium, quando predicatum est de essentia subiecti, ita ut expresse ponatur in eius definitione. Sic homo est animal formaliter explicite. Hi vero duo priores termini valent maxime in divinis, nam in Deo dicitur quod iustitia formaliter sit implicite, misericordia enim vero formaliter explicite.

12. Absolute sive formaliter, respective seu comparative, et secundum quid. Res dicitur apsolute et formaliter talis, quando est talis sed se et sine ulla comparatione. Sic Petrus dicitur absolute et specialiter vocatus, quando vero habet in se doctrinam sine ulla comparatione. Respective seu comparative dicitur cum res in se non habet formam denominantem. Si tamen comparetur cum aliquo alio eam videtur habere, ut si dicaslogicus est doctus vel est ignarus, primum verificatur si comparetur cum rustico illitterato; secundum vero verificatur si comparetur cum Aristotele. Secundum quid res dicitur talis cum denominatio illi convenit cum aliqua diminutione seu limitatione, ut cum Aethiops dicitur albus secundum dentes; et secundum partem oculorum; similiter ille qui calleret unam scientiam et ignoraret reliquas omnes dici possit doctus secundum quid et ignarus absolute.

13. Per se et per accidens. Primum dicitur ad significandum quando predicatum convenit subiecto ex natura rei et ex principiis intrinsecis quae illud naturaliter exigunt; ut si dicas: homo loqutur; id verum est per se. Et per accidens dicitur ad significandum quando predicatum est accidentalium subiecto ac illi convenit propter naturalem eius exigentiam, ut homo est mutus; id verum est per accidens.

14. Ut quo, et ut quid. Illi termini conveniunt principiis formalibus et instrumentalibus, ut significetur aliquid convenire subiecto tamquam vero et principali principio et agenti. Dicitur convenire ut quid; ut autem significetur virtus seu ratio qua mediante agens producit effectum, utimur termino ut quo v.g. ignis calefacit ut quid et calor ut quo; quia est ratio seu virtus qua ignis calefacit.

15. Positive et negative. Aliquid dicitur tale positive quando vere habet in se formam a qua hic denominatur, ut qui habet in se albedinem dicitur positive albus; dicitur autem negative, quando non habet formam in se, a qua oriatur denominatio contraria, licet non habeat etiam illam a qua hic denominatur, ut homo dicitur negative albus, qui non habet nigredinem, neque etiam positivam albedinem; sic ille dicitur negative bonus qui non habet nec positivam sanctitatem nec privativam.

16. Subiective seu entitative, terminative, et obiective. Res dicitur esse in alia subiective seu entitative, quando est per suam entitatem illa velut in subiecto a quo sustentatur. Sic intellectio est in intellectu subiective seu entitative.Terminative dicitur esse in eo ad quod terminatur ud visio est in oculo subiective et in pariete terminative, quatenus ad eum terminatur; obiective etiam quatenus obiicitur seu ab eo cognoscitur. Esse igitur in aliquo obiective dicitur de rebus, quatenus a potentiis cognoscitivis percipiuntur. Sic paries dicitur esse obiective in oculo vel in intelectu etc.

17. Intrinsece vere idem est ac subiective; quia res dicitur intrinsece talis, quando formam denominantem in se habet; exrtincese vero idem est ac terminative aut obiective, quando forma denominans non est in re denominata, sed ad illam aliquo terminatur, ut visio respectu parietis.

18. Confuse et distincte. Hae distinctiones respiciunt conceptus seu actus cognoscitivos aut expressivos v.g. vox exercitus dicit confuse duces et dinstinctam armatorum multitudinem.

19. Dirrecte et indirrecte, mediate et immediate. Quando predicatum convenit subiecto per se et absque alterius ope aut quando aliquid intenditur ab intellectu aut voluntate. Dicitur dirrecte cognitur directe volitur. Si vero sit mediante aliquo, dicitur indirrecte et secundario. Eadem recidunt mediate et immediate, scilicet quando nihil mediat inter rem quae dicitur attingi, dicitur immediate atingi; si vero mediat, dicitur attingi immediate.

20. Fundamentaliter et radicaliter. Primum significat rem quae alteri tribuitur convenire illi et inesse, non per suam entitatem et formaliter, sed tanquam suae radici, aut principio aut fundamento, ut si de aqua calida dixeris, quod est radicaliter seu fundamentaliter frigida, quia vim habet sibi innatam producendi frigiditatem, licet eam actu et formaliter sive inhaerentem non habeat, quamdiu est calida.

21. Adaequate et indaequate et simpliciter. Res dicitur talis adaequate quando talis est secundum se totam et omnes sui partes, ut lapis est adaequate corporeus; inadaequate, quando est talis secundum aliquam partem. Sic globus terrae est adaequate solidus et inadaequate fluidus. Similiter vero, quando est tale non quidem secundum omnes, sed secundum praecipuas et maximas partes. Sic Aethiops est simpliciter niger, licet albus sit secundum dentes.

22. In communi, et ut sic. Hae voces significant predicata quibus applicantur sumi in apstracto et praecise a suis differentiis particularibus, ut: homo est risibilis ut sic id est in communi, adeoque risibilitas illi conveniat ratione humanitatis quae est communis omnibus hominibus; non autem bene diceretur homo ut sic est philisophus, quia philosophia non convenit

homini ratione communis humanitatis, alioquin omnes esent philosophi, sed ratione qualitate patricularis.

23. Assignabiliter et inassignabiliter. Rari sunt isti termini. Prius dicitur quando ratio, cum praedicatum convenit subiecto est assignabilis; secundus vero, quando non est assignabilis. Sic dicitur partem, qua globus perfectus tangit perfecte planum non esse assignabilem tangere inassignabiliter.

24. In sensu composito et in sensu diviso. Prius est quando aliquid convenit subiecto ratione alicuius adiuncti, ut paries albus disgregat. Haec propositio enim verificatur quamdiu albedo comparetur cum pariete; secundus vero dicitur, quando non potest verificari propositio nisi separetur aliquid v.g. homo sedens potest currere; nam cursus non potest verificari de homine nisi separetur sessio; et sensus est ille qui modo sedet potest currere, cum cessabit sedere; sic, qui modo sedet, poterit currere, cum surrexerit. Quae si bene edisces, facile argumenta solves adversariorum. Sic ergo

Quaestio ultima: De modo disputandi arguentis et defendentis

Non magis alibi veritas elucescit quam in disputationibus et exercitiis quotidianis, in ipsis acuuntur ingenia et ipsi sapientes sapientiores fiunt, iuxta subtilissimi doctoris Ioannis Duns Scotiadagium, dicentis: Circulus et calamus me fecerunt doctum. Disputatio igitur philosophica inter duos fieri solet, quorum unus argumenta proponit, alter respondet et resolvit. Ideo munus eorum diversum est; et ut debito exerceant modo, nonnullas regulas tradunt summulistae, quarum aliquae spectant ad arguentem, aliquae ad defendentem, aliquae tandem ad utrumque; quae ni observantur, quaelibet disputatio suo fine frustrabitur. Pro quo

Adverte: Munus argumentantis prae primis se locare in medio circuli super scabellum, deinde perorare propositionem aliquam contra defendentem seu contra conclusionem expositam et proponere argumentum, modeste tamen, alba, clara, distincta et intelligibili voce. Post hoc expectabit donec respondens repetierit argumentum et responderit, nec ante responsionem interpellabit. Ab aentimemate confulcius inchoabit, tunc quia clarius, tunc quia minus manifestat rem seu vim latentis illationis, et quasi suspensum reddit respondentem et attonitum, nec multum dat illi respondenti. Caveat incipere a contradictoria thesi, ut solent rudiores v.g. dicendo ut impugnes hanc thesim: logica est scientia. Si diceres: logica non est scientia; ergo falsa thesis. Hoc non est petere principium, et puerile ac lucidum quid. Attingat, quantum poterit, difficultatem per aptum medium quod facile non mutet, sed in difficultate proposita perseveret, quamdiu suppetent illae rationes.

Adverte etiam quod etiam in defendente debeat servari eadem modestia; uterque enim debet stare corpore recto; sed antequam deveniatur ad circulum, tui muneris est defendens post benedicamus Domino pulsare campanula usque ad finem salutationis angelicae, deinde accipere theses a loco cum modestia portando ambabus manibus primo ad superiorem osculando fimbriam eius quasi invitans illum, deinde alios secundum gradum et dignitates usque ad condiscipulos exclusive. Post hoc sistat in loco ordinario signando cruce dicet: Propono Vobis, praestantissimi auditores, binas aut quaternas conclusiones ex labyrintho logico, quarum primam sic sustineo... Deinde perlegat primam usque ad litteram; et etiam secundam sustineo. Postea probat; post probationes dicat: Si quis vestrum quid formidinis in his meis thesibus iudicat et habet contrarium, dicat; ego autem divino Numine ac patrocinio gloriosissimae Virginis, necnon assistentia mei multum venerandi patris Lectoris (in theologia vero dicitur: mei reverendi patris lectoris) vestris obiectionibus, quo meliori potero modo, satisfacere conabor. Deinde sistat pidellus aut est accipiens stagneum orbiculum ponens supra illud thesim defferet ad primum arguentem, qui reverenter surgens, accipiens et tenens ambabus manibus dicat: Breviter argumentor contra vestras conclusiones bene expositas, et proprie contra primam, quam sic sustinetis. Deinde perlegat: contra quod pono tale breve medium; deinde proponat argumentum. Defendens priusquam reassumat, peroret ipsum arguentem his verbis: Bene argumentatus es charissime frater necnon meus condiscipulus contra unam ex his meis thesibus et praesertim contra primam, quam sic lego. Deinde iterum perlegat, contra quam posuit tale medium; deinde repetat tale argumentum dictum et absolute repetitione docent se ambo; deinde iterum reassumat argumentum clara et distincta voce. Quod si prima propositio fuerit falsa, dicatur: nego maiorem vel antecedens; si fuerit vera: concedo maiorem vel antecedens; si vero ambigua: distinguatur; quod si negaverit maiorem, ulterius defendens non progrediatur sed sistat, quousque ab arguente illud negatum fuerit probatum.

Observa adhuc: Si argumentans proposuerit aliquam auctoritatem alicuius doctoris vel sanctorum patrum, conciliorum aut textum *Scripturae*, non est absolute neganda, sed vero distinguenda vel explicanda... Si vero arguens supponat aliquid esse verum quod revera non est tale, dicatur: nego antecedens et suppositum eius; supponis enim etc. Si paritatem adduxerit, dic: nego consequentiam et paritatem, disparitas est. Aliquando etiam potest regerere argumentum in adversarium, ut si quis arguat; non esse studendum, quia studio maceratur corpus regerere; aut dicendo: immo studendum est, quia studio maceratur corpus nec lasciviat aut retorquendo argumentum hoc modo: per te non est arguendum id, quo maceratur corpus, at orando seu

laborando maceratur corpus; ergo non est orandum, nec laborandum. In his casibus etiam arguenti dicitur quod argumentum nimis probet, ad nihil... Debet insuper prae omnibus curare defendens ut sit comprendiarius in responsibus et, quantum fieri poterit, fore alligatus, quod facile erit, si duo observabit. Primo, ut non sit sollicitus in reddenda ratione de omnibus quae dicit, nisi ab arguente petatur, sed totum onus probandi relinquat arguenti. Aliud est, ut semper ante oculos habeat illud commune adagium: Saepe nega, raro concede, frequenter distingue.

Observa etiam: Cum extra forma ab arguente interrogatur, interrogationem repellat dicendo: petit a me Vestra Paternitas reverenda; dein breviter distincte ac clare respondeat. Item quando arguit aliquis lector vel pater Provinciae, sic peroratis ipsum subtilissime: arguitur admodum reverendus pater theologus, iam ex definitor Provinciae contra meam conclusionem ordine primam etc. Sic peroratis concionatores et similes ipsis, sapientissime argumentatur multum venerandus pater concionator necnon lector Philosophiae institutus contra meam etc. Vel si iam legerint Philosophiam dic: lector theologus institutus. Si autem contigerit episcopum aut abbatem argumentari dic: doctissime argumentatur illustrissimus ac reverendissimus dominus antistes Bosnensis, vel quid simile, abbas etc, contra meam primam etc. Denique debet esse arguens sicut leo, respondens ut agnus. Post finem circuli defendens debet osculari fimbrias omnibus illis, qui sunt maioris dignitatis et praeminentiae etc; caetera docebit usus.

Haec omnia tradita sunt in coenobio neo-aedificato SS.Triadis Brodii, et recurrente festo Immaculatae conceptionis B.V.Mariae honori dedicata et consecrata sunt a suo cliente minimo M.V.P.F. Antonio Xderich a Vinkovaz O.M.Observantium s. Francisci lectore ibidem Philosophiae ordinario Anno Domini 1735. die vero 7. mensis decembris, gubernante A.R.P. Luca Karagich et lectore theologo meritissimo Ministro Provinciali.

Finis Elementorum Parvae logicae seu Summularum.

SUMMULAE SIVE LOGICA PARVA P. ANTONII XDERICH

Sažetak

Ovaj rad se sastoji od dva dijela. U prvome se govori o životu fra Antuna Žderića iz Vinkovaca, profesora filozofije na Franjevačkom filozofskom učilištu u Slavonskom Brodu (Studium philosophicum Brodii) od 1735. do 1738. godine; u drugom je donesen tekst njegovih *Summulae sive Logica parva*.

SUMMULAE SIVE LOGICA PARVA P. ANTONII XDERICH

Summary

The paper consists of two parts. The first one depicts the life of Father Antun Žderić from Vinkovci, a professor of philosophy at the Franciscan philosophical educational institution in Slavonski Brod (Studium philosophicum Brodii) from 1735 to 1738. The second part is his *Summulae sive Logica parva*.